



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Exercitia Spiritualia Ad Mentem Et Normam D. Ignatii

Conscripta & Adaptata Usui Personarum Ecclesiasticarum Pro sacra
solitudine singulis annis ineunda, & in octo vel decem dies protrahenda

Maffei, Pietro Antonio

Augsburg ; Regensburg, 1740

VD18 80488145

[urn:nbn:de:hbz:466:1-60305](#)

a. IIII *R. 4507.*

9

R.P. Petri Antonii
MAFFEI S.J.
EXERCITIORUM
SPIRITUALIUM.

Pars III.

a
43
n
55
a
65
a
76
89
98

ДЕЯНИЯ ПОСЛАНИКА СВЯТОГО ПАВЛА АПОСТОЛА

THE HISTORY OF THE ENGLISH PEOPLE

Sacrorum Exercitiorum

Pars III.

complectens

Considerationes Ecclesiasticis

Personis tum in genere, tum in
particulari adaptatas, & præ-
cedentibus meditationi-
bus respondentes.

Consideratio prima.

Pro prima die

De obligationibus, quibus homo Ec-
clesiasticus obstringitur, confide-
ratus ut creatura Dei.

TU tanquam creatura ex abyssu
tui nihili ineffabilibus omnipoten-
tiæ divinæ viribus extractus, contra-
xiisti triplex hoc erga Deum debitum. 1. Te-
neris obedire Deo, & quæcunque manda-
verit, exequi. 2. Teneris te tradere re-
gendum non tuô, sed suô arbitriô, & ju-
dicio. 3. Teneris Dei gloriam procurare, &
promovere juxta finem, ad quem creatus es,
I. Considera debitum, quo obstringeris
ad obediendum Deo, ut ejus creatura.
Omnes aliæ creaturæ obediunt ejus voci.
Deus imperat mari, ut, ubi suum littus at-

A 2 tige.

tigerit, hoc non transiliat, sed ibi confringat tumentes fluctus suos, & exiguis arenulis furorem suum confringi, & extingui sinat; & mare obedit ad nutum. *Præceptum posuit, & non præteribit.* Psal. 148. Imperat soli, ut zodiaci circulum sine vertigine percurrat, & suo ortu diem reducat: & sol obedit exactè: *ordinatione tua perseverat dies* Ps. 118. Imperat stellis, ut splendore suo noctis tenebras temperent, & nobis dormientibus vigilias agant; & obediunt ei sollicitè: *vocare sunt, & dixerunt: adsumus, & luxerunt cum jucunditate ei, qui fecit illas.* Baruch. c. 3. Verbô, omnes creaturæ, rationis expertes, sine omni mora obediunt ultrò voci Creatoris sui: *dixisti, & facta sunt, nec est, qui resistat voci tuæ.* Judith. c. 16. Solus homo qui rationis lumine ductus, præ omnibus aliis se Creatori subjicere, & omnia ejus imperia avidissimè exhaustire deberet, succutit humeros, & jugum excutere parat, sumam, non Dei sequens voluntatem. O detestabilem arrogantiam!

Sed repones, hoc argumentum nullius esse ponderis, non stringere. An mirum sit, quod cæteris creaturis Deo fideliter obedientibus homo solus sæpè recusat obdire? solus homo inter has creaturas ratione, & libertate prædictus, in suo positum habet arbitrio, num velit Dei mandatis parere, vel reluctari; cæteræ omnes & ratione, & libertate carent. Verum audi, ipsa

Ipsa ratio & libertas homini insita, hominem ad obedientiam Deo præstandam magis, & præ omnibus aliis creaturis, hac facultate destitutis obstringit.

Fingito, à Rege potente uni ex suis subditis in vasto suo regno nobile ac pingue feudum donari, alteri verò concedi, vile, & rusticum prædium in emphyteusim; si primus contra dominum insurgat, eique perfidè bellum moveat; alter verò fide inviolabili adhæreat suo domino; an non illi suam perfidiam exprobratus ita intonares? Rex supremus, Dominus tuus exaltavit, & vix non sibimet æquavit te, solo folio superior, & tu tantæ munificentiaz ita respondes? ingratissime homunclo! vid'en socium tuum, qui fidem debitam & juratam servavit, integrum & illæsam! credisne sufficientem fore excusationem, si rebellis subditus reponeret; mirum non est, quod socius ille meus contra Regem armata non sumat; vires, & nervus belli, pecuniaz ipsi desunt, nec milites conscribere, alere, aut in aciem educere potest, quod tamen mihi facile est. Crediderim ego, te ex hac ipsa frivola excusatione ansam sumpturum concludendi, eum eo ipso ad majorem obstringi fidelitatem, & submissionem erga Regem, quod plura, imò omnia ab ipso accepterit, & ipsius dono ac gratia id sit, quod est. Si Rex tuus non te ad eum evexisset honoris apicem, quem modò tenes, nun-

A 3* quam

quam te illi tam pertinete opponere fuisses ausus; nunc autem quia tecum tam liberaliter egit, tot bonis & donis te cumulavit, ad arma conclamas, & bellum infers Regiam Domino tuo tam benigno, & benefico, turpissimæ perduellionis reus!

Similitudinem hanc tibi applica: quadribit. Si Deus te rationis & libertatis usu privasset, ut infantes, & amentes, non recusasses Deo, & ejus justissimis subesse mandatis, sed quia te pleno rationis & libertatis usu dotavit, ideo illi resistere, & ejus jugum suave audes excutere? ille laudandus, *qui potuit transgredi, & non est transgressor*, & liberè facit, ut non possit transgredi.

II. Considera obligationem & necessitatem, quæ tibi incumbit, ut Deo subsis, & te sinas ab ipso regi ad lubitum suum & non tuum, hac status tui conditione contentus.

Deus inter stellas creavit alias aliis nobiliores, & primæ magnitudinis, oculorum nostrorum spectacula, & oblectamenta: alias cœlo suffixit tam exiles, ut libero oculo ne quidem videri possint. Inter planetas medium posuit solem aureo propriæ lucis thesauro divitem, infimo, & terræ vicinissimo situ collocavit lunam lucis egentem alienæ, quæ hanc stipem auream à sole emendaret. Supremò loco cœlum empyreum collocavit solidum nec minimâ terræ indigens ope; terram posuit scabellum pedum circa centrum mundi, variorum influxuum,

um, roris præcipue indigentem, & sitientem.

Hunc ipsum modum, ac ordinem observat Deus cum hominibus tam in regimine civili, quam in Ecclesiastico. Alios ad honorum & dignitatum apices, ad gubernacula Reipublicæ evehit, aliorum capitibus, à quibus adorantur, imponit, nulli subjectos; alios deprimit, & aliorum pedibus substernit, aliorum ope indigentes, & à quovis etiam minimo eorum nutu dependentes. Alios vult esse nobiles, illustri prognatos stemmate, alios ignobiles de plebe natos; alios divites, alios pauperes & mendicos; alios sanos ac robustos; alios debiles & ægrotos; alios felices & prosperâ semper fortunâ utentes; alios semper afflictos, & cum adversa & novercante fortuna luctantes. Omnis creatura rationis expers contenta est eo, quem Deus ipsi præfixit, loco; quidquid grave est, ubi determinatum sibi terminum, & centrum attigit, cursum & motum suum sistit, & quieteuit, & si Peripateticis credere juvat, cum motu ipsam etiam gravitationem & motus radicem amittit, quippe quæ finem suum unicum, propter quem indita fuerat. jam consecuta sit, & quiete possideat.

Ita oportet te quoque quietum, & contentum vivere in eo loco, officio & statu, tam in politica & sæculari, quam in Ecclesiastica, & religiosa republicâ, & hierarchiâ, omni deposita ulteriore inquietudine, aut

querela, si non detur ascensus ad altiora. Sic Paulus argumentatur & concludit ad Rom. c. 9. *Nunquid dicit figuratum ei, qui se finxit, quid me fecisti sic? an non habet potestatem fagulus lutti ex eadem massa facere aliud vas in honorem, aliud verò in contumeliam.*

III. Considera debitum, quo obstringeris, procurandi, & promovendi gloriam Dei. Finis omnium creaturarum est Deus. *Omnia propter semetipsum operatus est Dominus. Prov. 16.*

Quemadmodum creaturarum omnium principium & origo est Deus, ita earundem finis ultimus pariter est Deus, non tantum finis utilitatis, sed excellentiæ; licet enim Deus nec creaturâ, nec ulla re, vel operatione creaturæ opus habeat, nihilominus ab omnibus strictè exigit, ut Deum glorificant. Hoc tributum exactè pendunt cœli, cum planetis, & conjunctarum in firmamento stellarum manipulis, sive constellacionibus: *Cœli enarrant gloriam Dei, & opera manuum ejus annuntiat firmamentum. Psal. 18.* Hinc David omnes creaturas indiscriminatim invitat ad Deum laudandum: *Laudate eum sol & luna. Pl. 148.* cum omnibus aliis quas ibi enumerat. Davidem imitati sunt apud Danielem tres pueri in fornace Babylo-nica, ubi c. 3. descriptum legitur mirabile illud Canticum, in quo ad laudes DEO dicendas existant cœlum & terram, & omnia, quæ in eis sunt.

Ad tribunal te ipsum voca, & rigide examina

mina, an in omnibus tuis operibus quætas gloriæ DEI, & non potius tuam propriam. DEUS gloriæ suæ tenacissimus, & zelotypus æmulator est, quod ipse met per Isaiam declarat Cap. 42. *Gloriam m:am alteri non dabo.* Si tu ipsi de hoc thesauro aliquid clepis, & suffuraris, substrabis ipsi id, quod unum ipsi potest subtrahi. Sed vœ tibi! gloriâ, quam tam studiosè venaris in terra, nunc in tempore carebis in vita altera, in æternitate. Illis, qui yanam gloriolam, & laudem humanam aucupantur, dum eleemosynas distribuunt, orationes fundunt vel alia pia, & DEO alioquin grata opera exercere solent disserte Christus prædictit Matth. c. 1. *Amen dico vobis, receperunt mercedem suam.* Quam enormis stultitia, ut captes auram popularem, quæ statim instar fumi, vel vaporis tenuis evanescit, jacturam facere boni, ac præmii æterni!

Consideratio secunda.

Pro prima die, secunda.

De obligationibus, quibus homo
Ecclesiasticus obstringitur, consideratus ut homo.

Tibi, quatenus homo es, triplex incumbit obligatio. 1. ut observes legem naturæ, 2. ut ducem sequaris rationem, non
A 5. passio.

passionem, sive pravam inclinationem, ut imaginem Dei, animæ à Creatore impressam, magis semper perficere, & expolire studeas.

I. Considera obligationem observandi legem naturæ, præceptis, decalogi comprehensam; hæc autem omnia pro scopo & fine habent amorem Dei, & proximi. Amorem divinum his dotibus instructum esse oportet,

1. Necesse est, ut sit amor amicitiæ, & non meræ concupiscentiæ; amor, qui te impellat ad beneficiendum, quantum potes, & non præcisè ad recipienda bona, & beneficia à Deo; sic enim non Deum, sed te ipsum amares, non amares Deum per se. Aiori amore, quam quo amplecteris canem venaticum, equum sonipedem, quia tibi utilis & necessarius est.

2. Ut sit amor super omnia, id est, ut Deum præferas rebus omnibus, ita ut malis amittere omnia hujus mundi bona, quam perdere gratiam, & amicitiam Dei. Ita Deum amabant Martyres, qui vitam & sanguinem profuderunt, ut amicitiam, & gratiam Dei illam conservarent. Hæc sublimis æstimatio, sive appretiatio Dei super omnia est necessaria, & præcepta, licet præcepta non sit certa amoris teneritudo, ac dulcedo sensibilis; licet hæc non raro Sancti cœlitùs delibuti fuerint, qui amat patrem,

vel

vel matrem plusquam me, non est me dignus. Matt.
c. 10. Ita protestatur Christus ipse.

Explora jam te ipsum, an ad hunc gradum perfectionis non solum Viro Ecclesiastico, sed cuivis Christiano, quin cuivis homini ratione praedito proprium & necessarium ascenderis: perpende, an talem amorem Deo exhibeas in occasionibus, in temptationibus, & adversitatibus; *renat vos Deus, ut palam fiat, utrum diligatis Deum.* Deut. c. 13. Attende, an te Deum amare probent tuæ cogitationes, verba, & opera; qui serio & ardentiter amat, de nulla re sepius cogitat, aut facundiùs loquitur, quam de objecto amato; ut huic placeat, facit, & dirigit omnia. *Probatio dilectionis, exhibitio est operis.* Greg. homil. 30. in Evang.

Amor proximi similis sit oportet amori, quo te ipsumamas: *Diliges proximum tuum, sicut te ipsum.* Matth. 22. Similitudo tamen non est æqualitas; hinc in bonis præsertim spiritualibus, & animæ salutem concernentibus non tantum potes, sed etiam debes te ipsum plus amare quam proximum, & tuam salutem præferre illius saluti. Præpostrum foret, si Ecclesiasticus suam læderet, vel perderet animam, ut animam proximi lucraretur, & perditionis periculo subducere. Genuina & vera charitas est ordinata. Ubi æqualis & par urget necessitas, exigit, & dictat, ut te ipsum aliis, parentes
verò

verò ac consanguinitate, vel affinitate tibi
junctos externis præponas. Sed quām
pronum, & facile est ab hoc tramite
deviare, præsertim Ecclesiastico! hinc S.
Bernardus sermone 40. in Cantica, omnes
sacerdotes, & Ecclesiasticos vult esse secun-
dūm ordinem Melchisedech, & huic summo
sacerdoti similes sine genealogia: *obliviscere
domum patris tui*, ne cæco & inordinato
amore erga consanguineos abripian-
tur.

Amor proximi ut verus & genuinus sit, ne-
cessit habet, partim sit negativus, id est, ut
amantem inducat ad complura vitanda, &
omittenda, quæ proximo possent obesse;
sic obstringimur ad omittendum, & depo-
nendum tam internum, quām externum
odium erga proximum, ad eum non lăden-
dum sive in bonis temporalibus corporis,
sive famæ & honoris, sive fortunæ, præci-
puè in bonis animæ ac spiritualibus, dando
scandalum, pravum confilium; partim ve-
rò positivum, id est obstringens ad varia
facienda & præstanda proximo; internè
quidem, ut illi bene, & bona velimus, opti-
ma quæque ex animo optemus; & externè,
quantum in nostra est potestate, procure-
mus, in ejus necessitatibus succurramus, &
omnia opera misericordiæ tam corporalis,
quām spiritualis exhibeamus.

Si

Si hæc non perfunctoriō percurras, sed fixō lustres oculō, fortè deprehendes te in multis deficere, & obligationi tuæ, quam tibi etiam sola ratio naturalis, & inditum à natura lumen imponit, defuisse hactenus: alid proin imposterum vela vertenda.

II. Considera quām arctum sit vinculum, quod te obstringit ad obedendum semper rationi, & nunquam curvæ, ac depravatæ tuæ propensioni, sive Passione,

1. Itaque stude dignoscere tuas inclinationes, & animi pathemata universim; speciatim vero illam observa, quænam ex his prædominetur, te potissimum in transversum, & in errores rationi contrarios præcipitem agat. Ejusmodi effrænis, & præpotens affectio, ac naturæ propensio facilè te in extremam perniciem, & ruinam trahere potest. Timēsne tam grande malum, quod hinc oriri potest? quomodo huic hosti occurris & resistis? quibus uteris armis? quæ adhibes media ad retundendum hujus bestiæ impetum, & refrænandum furorem? in quo, & non adeò levia jam te protrusis peccata, & imposterum adhuc protrudere perget, si non maturè illius vires frangere, enervare, eāmque rationis imperio subjecere studeas?

2. Singulariter te ipsum excute, & dispice, an & quomodo refrænes, & cohibeas Passiones, sive inclinationes tuas partis irascibilis,

bilis, sive ex iracundia progerminantes; an statim excandescas, in verba aspera contumeliosa prorumpas, fulmines, tones; an tibi illatarum injuriarum tenaciter memor, vindictam coquas, & mediteris; an ex pusillanimitate, & timore hominibus displicendi, desistas à præclaris ausis, & heroicis virtutum actibus, imò ab ipsa regia salutis vel perfectionis viâ deflectas, ne dyscolis & tepidis ludibrio, & contemptui sis.

3. Ad examen voca inclinationes omnes, ac cupiditates, ex innata concupiscentia protuberantes; sive excute omnes animi passiones ex parte concupisibili militantes, quæ in tres manipulos dividuntur; in amorem inordinatum honorum, divitiarum, & voluptatum.

Ad primum manipulum trahuntur illi, qui se jactant, & facta sua extollunt super sidera, milites gloriosi, qui gloriantur quandoque etiam in rebus pessimis, qui de se ipsis præsumunt, qui inferiores altò superciliosi despiciunt, superioribus se subjecere recusant; qui defectus suos eleganti hypocrisis palliolo tegunt, & abscondunt, quorum unicum votum & studium est placere hominibus, ab his laudari, & estimari: qui tenacissimè adhærent suæ opinioni & judicio, nec ab hoc se ullo rationum, vel auctoritatibus pondere dimoveri sinunt. An non & tu ex hoc manipulo es?

In-

In ordinato, & exitiali divitiarum amore te infectum crede, si divitiis cor tuum apponas, & agglutines; si nimium te affligat, & in profundam tristitiam te demergat jaetura bonorum temporalium; si debita solvere differas, vel recuses; si fraudulenter contractus ineas, & concludas; si pauperum necessitates christianâ pietate, & eleemosynâ sublevare tergiverseris: si te felicem & beatum credas, quod divitiis abundes: si proximo succurras spe lucri, & compensationis, si contendas, mentiaris pro obtinendo frustillo terræ, litiges etiam cum consanguineis, amicis, & hosti tibi facias inimicos, si tua frugalitas, & parsimonia in sorditatem degeneret.

Tertium quoque sinistri amoris genus tibi dominari crede, si deprehenderis, te nimis delicate corpus tuum tractare, nihil, quod ipsi arridet, & gratum est, negares: si indulgeas inerti otio: si misceas, vel pronus auribus auscultes impura colloquia, jocos fescenninos, & scurriles metaphoras; si in conversatione nimis liber, omnes modestiæ limites transfilias, gestibus & gesticulationibus utaris ridiculis, & gravem virum dedecentibus: si tuas commoditates, delicias, & illecebras ubique sollicitè querelas, in vietu, in vestitu, in lecto, in cubiculo, nec minimum quid tibi deesse patiaris: si omnibus recreationibus, & animi relaxationibus adesse, & frui velis tanquam tibi debitum;

si te occasionibus labendi sponte exponis, &
has quæris.

O quot ex enarratis defectus in te dete-
ges, & deprehendes! qui omnes erunt
emendandi, ut rursus in orbitam redire, &
ductum recte rationis sequi possis.

III. Considera obligationem, quā
teneris imaginem, animæ tuæ à Deo Crea-
tore tuo ad similitudinem suam impressam,
semper magis perficere, renovare, & nu-
meris omnibus absolvere. Creaturæ irratio-
nales juxta opinionem doctoris Angelici,
sunt vestigium aliquod divinitatis; homo
autem est viva quædam, & quantum fieri
potest, ad vivum expressa imago SS. Tri-
nitatis, nam cum Trinitas increata distinguitur
secundum processionem Verbi à dicente, & amoris
ab utroque, etiam in rationali invenitur processio Ver-
bi secundum intellectum, & amoris, secundum vo-
luntatem. S. Thom. P. I. q. 93. art. 6. Deus
creando hominem palam edixit, se eum cre-
are & formare ad imaginem suam. Sic Reges,
Principes vilioribus ac cupreis monetis non-
nisi sua insignia, aureis & argenteis verò ma-
joris valoris ac pretii suam effigiem insculpi
jubent: *Signatum est super nos lumen vultus tui.*
Psal. 4.

Duas imagines sui produxit Pater æter-
nus, primam perfectissimam omnibus nu-
meris absolutissimam, cui nihil addi possit,
et typon suo prototypo adæquatum, nempe
filium suum divinum naturalem, qui est
ima-

imago Dei invisibilis. ad Coloss. c. 1. Secunda *imago* est *homo*, sed *imperfecta*, quæ *eo* *dirigitur*, & *destinatur*, ut *semper magis* *emendetur*, ac *tandem ad suam perfectio-*
nem in suo genere perducatur. *Homo* *non tam absoluta Dei imago*, quām *prima* *delineatio*, & *rudis quædam hujus idæa* *est*, *quæ*, si *intelle&t;u* *instructa* *eslet*, *nihil ma-*
gis optaret, & *curaret*, quām *ut perficeretur*,
& *absolveretur*: *tuum jam est*, ut *media*
quæras, & *adhibeas*, *quibus hæc imago ad*
suam perducatur perfectionem competen-
tem.

Triplex genus imaginum in homine ag-
noscit D. Thomas art. 4. Primam esse ait,
quam *hæreditate accepit* in prima creatio-
ne: secundam dedit nova, & secunda crea-
tio: tertiam vocat *imaginem similitudinis*.
Prima naturæ humanæ insita, & ab hac in-
separabilis, consistit in hoc, quod quemad-
modum Deus à seipso cognoscitur & ama-
tur, ita etiam ab homine cognosci, & ama-
ri, & semper magis ac magis cognosci &
amari possit etiam in hac vita; quod om-
nibus hominibus commune est. Secunda *imago* consistsit in eo, quod homo Deum
per supernaturale lumen fidei agnoscere, &
per charitatem amare possit, & reipse ag-
noscat & amet, non equidem semper actu,
quod hominum adhuc in mundo viventi-
um vires superat, sed habitu, ac quadam
virtute sive habitualiter & virtualiter; &

B.

hæc

hæc imago non omnibus promiscuè hominibus, sed justis duntaxat, & in Dei gratia constitutis propria est. Tertia tandem consistit in clara cognitione DEI à facie ad faciem, in amore semper actuali, & nunquam, ne ad momentum quidem interrupto, de hac legitur Joan. Ep. 1. c. 3. *Similes ei erimus, quia videbimus eum, sicuti est.* Et hæc in solis Beatis, & cœlicolis reperiatur. Prima est imago naturæ; secunda est imago gratiæ; tertia est imago gloriæ. Perdue igitur ad perfectionem imaginem naturæ, huic adde imaginem gratiæ, ut merearis imaginem gloriæ.

Consideratio III.

Pro die II. prima.

De obligationibus Ecclesiastico incumbentibus ut Christiano.

Quivis Christianus accenseri potest hominibus Religiosis, sive Religiosam vitam in aliquo asceterio professis, cum & ipse solennem professionem emiserit, à qua

à qua deficere sine crimine apostafia non potest: hanc professionem autem quivis emisit, & se mancipavit religioni JESU Christi, quando per Sacramentum Baptismi suscepitus & admissus est in Ecclesiam Catholicam. Quemadmodum igitur quivis Religiosus obstringitur observare sui Ordinis Regulas, ita quivis nostrum tenetur observare, & servare Regulas vitæ Christianæ: hæ autem sunt multæ & variæ, sicut variæ & multæ sunt, quæ in quovis Ordine Religioso ejus sectatoribus præscribuntur. Ex illis solùm sex seligo, & quidem eas, quæ per Ritus sacros in Baptismi administratio- ne adhiberi solitos indicantur. Primæ tres cæremoniæ, quæ Baptismo præmittun- tur, erunt materia præsentis considerationis; tres reliquæ, Baptismum sequentes, materia erunt sequentis Consideratio- nis.

I. Una ex sacris cæremoniis, quæ sacerdos exercuit, antequam te fonte lustrico expiaret, etiam hæc fuit, quod inter sca- pulas tergo, deinde fronti, tandem pe- stori tuo signum crucis digito suo inscripse- rit, & impresserit, quo indicatur, crucem à quovis Christiano ferendam; etiam pub- licè, sine rubore, imò etiam cum amore, & tenero affectu. Christus, christianæ re- ligionis Auctor & caput, aperie declarat, illum inter suos affecias non numerandum esse, qui non ultrò cruci humeros subderet:

*B 2, qui

qui non bajulat crucem suam, non est me dignus. Luc. c. 14. Et hoc non solum ad Apostolos quod tamen sufficeret, ut hoc etiam ad Ecclesiasticos derivaretur, sed ad omnes Christianos dictum est; & dictum est, crucem portandam esse singulis diebus: dicebat ad omnes, si quis vult post me venire, tollat crucem suam quotidie. Luc. c. 9. Crux hæc est invicta inter adversitates patientia, virtus omni Christiano ad obtainenda à Christo promissa præmia & gaudia summè necessaria: Patientia vobis necessaria est, ut reportetis promissiones, ad Hebr. c. 10.

Discute jam, an tuam crucem feras in humeris cum patientia, in fronte cum gloria, in pectore cum amore. Hoc modo crues suas ferebant Apostoli, de quibus scriptum legitur Act. Apost. c. 5. *Iabant gaudentes, à conspectu concilii, quoniam digni habiti sunt pro nomine JESU contumeliam pati.* Dicitur pati, en patientiam! dicitur digni, en gloriam! dicitur gaudentes, en amorem!

Ut tibi crux tua semper sit levis, tolerabilis, gloria, chara & amabilis, hæc tria sæpius perpende.

1. DEUS est Auctor, & faber tuæ crucis non solummodo tunc, quando tuæ adversitates, & afflictiones originem suam debent causis necessariis, & ab his profluunt, quales sunt immoderati calores, frigora, morbi, dolores, febres, sterilitas terræ, inundationes, procellosæ tempestates, fulmina,

mina, tonitrua, incendia, grandines; sed etiam quando tuæ afflictiones promanant ex causis liberis, ex litibus injustè, & temerè motis, ex inimicitiis, ex contumeliis ex odio & invidia, ex persecutionibus, proditionibus, *non est malum in civitate, quod non fecerit Dominus*, ut Amos c. 3. ait, loquens de malis & pœnis omnis generis, & undecunque tandem provenientibus. Inimici & adversarii tui sunt quidem causa contumeliarum, probrorum, mordacium dieteriorum, quibus te incessunt, si in his species culpam; si verò in iis consideres id, quod habent pœnæ, hujus causa & auctor DEUS est, qui aliena utens malitiâ te paternè castigare, & à fæcibus tuorum affectuum, & defectuum, sicut aurum in fornace purgare, te à creaturis avellere, & sibi unire intendit.

Job tot funestis nuntiis una serie sibi succedentibus pessima quæque & adversa omnia nuntiantibus consternatus, non in has, vel his similes querelas erupit; DEUS me tot bonis & donis liberalissime cumulavit, quibus modò me iniquissimè spoliavit violenti fures, rapacissimi vultures, Chaldaei, ipse dæmon insensissimus hostis, malorum omnium author, & inventor; procul hæc à Jobi invicta patientia: audis, quid dicat? *Dominus dedit, Dominus abstulit.* agnoscens & adorans Deum, velut omnium, ita etiam istarum calamitatum authorem, ac fontem. Si hanc cogitationem, & cog-

*B 3.

nicio-

nitionem idem idem renovaveris, & iteratis quodammodo iictibus quasi clavum altè in animum defixeris, facile ad eum perfecte patientiæ gradum enitèris, quem in Jobo suscipimus, & admiramus, maximè si huic considerationi alteram adjunxeris, nimisrum quòd Deus te ita affligens ardentiùs & sinceriùs te amet, tibi bene velit, quàm si metiple eò quòd severè agat cum illis, quos amat; quos amo, arguo, & castigo. Apoc. c. 3. Illis vero, quos non amat, vel minus amat, fræna laxet: dimisi eos secundum desideria cordis eorum. Ps. 80.

2. Deus in tuis adversitatibus lateri tuo hæret, tuus socius est. Christus omnibus semper benefecit, & pro mercede semper summam ingratitudinem, omnia mala re-tulit: *venit mira facere, & mala pati, teste Augustino.* Injuriæ tibi illatæ, longè magis Christo inferuntur, & hunc priùs & acerbiùs lèdent, quàm te; & tamen has ille patiens & silens tolerans, omni momento promptus est ad has condonandas suo hosti, & offensori; & tu tam delicati eris stomachi, ut te ejusmodi, etsi crudos bolos non posse concoquere credas? cui unquam militum, nisi væcordi, & ignavissimo labor ille nimium gravis & durus est visus, quem videt ab ipso duce suo alacriter suscipi?

3. DEUS præmium & corona est tux tolerantia, ac patientia. Potesne ampliorem compensationem expectare, vel desiderare,

quàm

quām sit æterna, & imperturbata possessio illius Dei, qui solus te plenè satiare, & aternūm beare potest? quod in præsenti est momentaneum & leve tribulationis nostræ, supra modum in sublimitate æternum gloriæ pondus operatur.

2. ad Cor. c. 4.

Confer invicem hos tibi oppositos terminos: in præsenti, in sublimitate: momentaneum, æternum: leve tribulationis, pondus gloriæ, tēque ipsum excita & hortare ad heroicam, & ferream, si opus sit, patientiam, ob oculos tibi positā tam grandi mercede, & magnâ nimis; identidem tecum repetens: non sunt condigne passiones hujus temporis ad futuram gloriam ad Rom. c. 8.

II. Alius ritus, antequam Baptismate intingereris, tecum adhibitus est, in hoc consistens, quod dæmoni nuntium remittere, & penitus abrenuntiare debueris; sic enim pro te, & tuo nomine respondere iteratò coactus est ille, qui te ex sacro fonte levavit, & ideo patrini nomen sortitus est; abrenuntio, abrenuntio: sed hæc nuntii remissio, sive abrenuntiatio fieri debet mente, & corde.

I. Tuáne mens omnia dæmonis axiomata, & fundamenta ex asse rejecit, & repudiavit; & eorum locô solidas veritates Evangelicas, & christianæ vitæ regulas seriò amplexa est? Fortassis veritatibus illis solidissimis, & æternis, quæ in speculazione, & contemplatione, & solo intellectu fisiunt,

B 4 firmis.

firmissimè adhæres, in regulis autem & dictaminibus christianis, quæ se ad voluntatem extendunt, & ad praxin tendunt, titubas, & cæcutis.

Firmiter credes, Deum esse unum in essentia & natura, trinum verò in personis: Verbum divinum assumpsisse humanam naturam in una hypostasi, & subsistentia divina; quod in cruce atrocissimam subiecit mortem, & sanguinem usque ad ultimam guttulam fuderit ad nos redimendos. Merito autem in dubium trahi potest, an eadem firmitate credas, divites esse intlices, è contrario pauperes esse felices, & beatos; infelices esse, qui rident; felices, qui lugent & plorant; infelices, quibus omnia prosperè, & ad vota fluunt; felices, qui persecutionem patiuntur: *Væ divitibus; væ qui ridetis; væ cùm benedixerint vobis homines.* Luc. 6. Beati pauperes; beati qui lugent; beati estis, cùm maledixerint vobis homines. Matth. 5. An non potius cum mundo senris, & dæmonis, hujus mundi principis, dictaminibus, & regulis, Christo è diametro contrariis adhæres? paupertatem esse summam infelicitatem, illos solos esse felices, qui magnis affluunt, & abundant divitiis.

Ita discurras, & concludas de plurimis aliis his similibus Christi dogmatibus, & Evangelicis veritatibus, quales sunt, eum, qui erga pauperes est liberalis, illisque in
ne.

necessitate libenter Christi amore succurrit, nunquam depauperandum, sed etiam in hac adhuc vita receptum esse centuplum; pœnam, & pessimum indicium esse, si cui in hac etiamnum vita omnia prosperè fluant, & feliciter succedant; male parta, male dilabbi, & ubi in domos, vel familias invehuntur, cum his pariter invehi ruinam & interitum. *Date & dabitur vobis.* Luc. 6. dimisi eos secundum desideria cordis Psal. 80. *Ignis in domo impii, thesauri iniquitatis.* Mich. c. 6.

2. Dic, sequiturne voluntas tua lumen, & ductum æternarum veritatum? an potius illorum de grege es, qui *confitentur se nōsse Deum, factis autem negant?* Tit. c. 1. Parum prodest credere, quando vivere contrarium est ipsi credere; id est, nihil juvat fides, ubi vita à fide plurimum abludit, & illi contraria est. *Fides sine operibus mortua est.* Jac. c. 2. mortua, quia charitatis expers, quæ est anima fidei; mortua, quia instar cadaveris sensim sine sensu ex seipsa putrescit. Fides operibus destituta, ad nihil aliud juvabit, quam ut longè severius quam genitiles & idololatriæ dijudiceris, & puniaris: *Tyros, & Sidoni, mitius erit in die judicii, quam vobis.* Matth. c. 11. Character per suscepsum Baptismum impressus nunquam amplius defendendus, unum non ex minimis tormentis erit illorum, qui descendunt in infernum cum armis suis. Ezech. c. 32.

III. Tertia cærenonia sacra , collationi Baptismatis præmitti solita consistit in eo, quod bæptizandi infantis ori sal immittatur, in signum , & documentum , Christianum cautè loqui, & nonnisi opportunos , ac sale sapientiæ conditos sermones proferre debere: hæc sapientia & prudentia in loquendo præscribit, ut loquamur de Deo cum summa reverentia , de proximo cum charitate, de nobis ipsis cum modestia , & demissione.

1. Quomodo igitur de DEO loqueris? lingua, & hujus usus tibi in hunc finem à DEO concessus est, ut DEUM benedicas, laudes , & ejus magnitudinem enarres, & ubique deprædices: Christiani vocantur à S. Petro Ep. 1.c. 2. *Populus aquifitionis*, ut virtutes annuntietis ejus, qui de tenebris vos vocavit. Quantum dedecet, os Christianum, toties proferre nomen Dei temerè , & in vanum, & longè magis linguam sacerdotis, quæ Deo consecrata, & ab Ecclesia deputata est ad laudandum Deum communi omnium fidelium nomine quotidie! nullum blasphemiam majus, aut enormius scelus est teste D. Hieronymo in cap. 18. Isaïæ: nam directè impedit, & aggreditur divinam bonitatem: quantum pondus non adjiceret tanti sceleris enormitati proferentis dignitas, si foret Ecclesiastica?

2. Qualis est tuus de proximis sermo? an & tu ex illorum numero es, quos David describit Ps. 72. posuerunt in cœlum os suum, & lingua eorum transivit in terra. Hi postquam de Deo locuti sunt sine reverentia, de proximo loquuntur. sine charitate, & justitia. Interdum affingunt aliis defectus, vel delicta falsa; interdum ex latebris in publicum protrahunt defectus veros quidem, sed haec tenus occultos, interim jam publicos & notorios exaggerant, & amplificant; nunc in malam partem trahunt, & sinistram interpretantur, quæ in bonam partem accipi possent, & ex charitate deberent; nunc ludibrio, & contemptui exponunt pia, & omni laude digna virtutum opera: si tu quoque cum his corvis crocitates, te illis Prophetæ verbis alloquerer Psalm. 51. Dillexisti omnia verba præcipitationis, verba secum trahentia temporalem, vel spiritualem ruinam proximi: propterea destruet te in finem; id est, vitam tuam male finies, & morte infelice claudes.

3. Quid dicas, & loqueris de teipso? jactasne te, & ampullatis verbis deprædictas nobilitatem, & summos ceris illustrissimam tuam prosapiam, divitarum thesaurorum? an vanè ostendas tuam prudentiam, scientiam, sanctitatem, eximia virtutum operâ hypocrisi Pharisaicâ? ejusmodi ostentato-

tatores, & grandiloqui Thrasones merentur privari etiam illis donis, & prærogatis, quas ipsis benignum Numen concesserat: cessabit Moab esse populus, quoniam contra Dominum gloriatus est. Jer. c. 48.

Longè deterius foret, si te jactares, & gloriareris in rebus pessimis, in actionibus homine indignis, & omni vituperio dignissimis, & ipsâ hâc turpissimâ jactantia sceleris admissi malitiam renovares, & dupliches, quin & peccatum scandali superadderes: an fortè male patrata facinora tua non tantum excusare, palliare, & nescio, quo fuso specioso oblinere, verum etiam cum pertinacia tueri, & ab omni culpa eximere conaris, ne videaris errasse? quod nihil aliud esset, quam vitiū minus majore tegere velle: *verba malitiae ad excusandas excusationes in peccatis.* Psal. 140.



Con-

Consideratio quarta.

Pro II. die, secunda.

De obligationibus homini Ecclesiastico propriis si consideretur ut Christianus.

TRes aliæ cæremoniæ ex consuetudine, & mandato Ecclesiæ statim subjunguntur administrato Baptismati, quibus indicantur tres aliæ obligationes, quas baptizatus cum Baptismo suscepit; has explicabimus, & examinabimus in præsenti Consideratione.

I. *Sacro chrismate inungitur vertex capitatis Baptizato, quo significatur qua fortitudine fidelibus pugnandum sit contra mundum, dæmonem, & carnem; nam antiquis Athletis in more positum erat, ut certaturi se inungerent, & ita inuncti in arena comparerent. Cujusvis Christiani officium est, ut omni die & horâ sit accinctus lumbos, & stet paratus ad prælium cum suis hostibus ineundum, ad retundendum horum assultus, & tentationes: Fili, accedens ad servitatem*

tem Dei præpara animam tuam ad tentationem. Eccli. 8. Etiam maximi & primipili Sanctorum tentati fuerunt; ita de seipso testatur S. Paulus scribens ad Romanos Epistolæ suæ c. 7. & Epistola secunda ad Corinthios c. 12. Non igitur in eo consistit sanctitas, ut non tenteris, sed ut non vincaris, & temptationibus non succumbas.

Discute jam, quem te militem in hujusmodi conflictibus demonstres, qua fortitudine his hostibus resistas; an ardua fronte, erecto animo statim occurras, & omnem aditum ipsis præcludas; an potius cum illis colloqui, & quasi pacisci incipias, vel certè aliquam ipsis complacentiam, vel benevolentiam ostendas, an scuto, & lanceâ sive mediis necessariis ad depellendas, & debellandas has hostium turmas utaris? an ad orationem, & per hanc ad Deum recurras, opem, & subsidia petiturus: sic ipse dux noster Christus suos in hac Palaestra instruxit discipulos; *Orate ut non intretis in temptationem.* Matth. 26. Monitum hoc S. Hieronymus ita explanat: *in temptationem intrare non est tentari, sed vinci:* hanc contra dæmonem bellandi artem jam pridem felici successu exercuerat rex David, ut ipsem scriptum reliquit Ps. 4. *oculi mei semper ad Dominum, quoniam ipse evellet de laqueo pedes meos.* Si non omnem spem & fiduciam in Deo ponas, sed de teipso, & tuis viribus præsumas, Deus

Deus, ut humiliatorem, & tuam fragili aitem
te doceat, sœde in scelera te prolabi si-
net.

2. Non minus efficax ad vitoriam ob-
tinendam medium est, conscientiæ suæ ar-
bitrio tentationes suas candidè aperire. Cu-
niculi sub terra latentes, ubi deteguntur,
etiam facile eluduntur: conjuratio evulgata
vires omnes perdit, & ipsos conjurantes
ruinâ involvit. Si sinu his ignem sovere
pergis, fieri non poterit, ut non te ipsum
aduras.

Verum ut hoc medium tibi prospicit ad
præfixum finem, necessarium est, consci-
entia tuæ arbitrum virum esse prudentem,
peritum, & versatum in arte animas regen-
di Magistrum, qui omnem habeat licentiam
liberrimè mentem suam explicandi, & sua
sensa atque consilia proponendi. Si cæcus
cæcum ducat, ambo in foveam cadunt. Si cæ-
ucus peritum, & fidelem ducem sortitus, huic
non plenam libertatem concedit se ducendi,
quod ipsi videtur, à recto tramite haud du-
biè aberrabit.

3. Oportet, ut tu tibimetipsi non desis,
ut tu quoque operam, & diligentiam tu-
am conferas; nam nec Deus solus totum
facere, & negotium salutis tuæ confidere
vult, nec Director tuus solus potest; tua
cooperatio summè necessaria est, te quo-
que manum operi admovere oportet.

Sunt

Sunt autem variæ industriae, quas adhibeas. Primo ut generosè statim in ipso ortu tentationem opprimas; principiis obsta: non raro exigua scintillula, non statim suffocata, ingentis incendii origo, & infelix mater fuit: à scintilla una augetur ignis. Eccli. c. 11. O te felicem, si assueveris pravorum inclinationum, sive passionum tuarum prorumpentes vipereos partus in cunis opprimere, & extirpare; *beatus, qui allidet parvulos tuos ad Petram.* Psal. 136.

Deinde animus ad id adjiciendus est, quod temptationi contrarium est: malum quodvis per oppositum tollitur & emendantur: si insurgit tentatio carnalis, carnem castiga, & doma jejuniis; si allicit avaritia, largire liberales eleemosynas; si te inflat superbia, elide hunc tumorem spontaneis humiliationibus, & depressionibus: *contraaria contrariis curantur.*

Fugiendum denique est otium cane & angue pejus. *Multam malitiam decuit otiositas,* Eccli. 33. Si dæmon semper te occupatum invenerit, nunquam inveniet apertam portam, qua in cor tuum penetraret. Vita tua libera, iners, omnis curæ & solicitudinis expers appetit januam omnibus temptationibus, manum porrigit omnibus sceleribus, occasioneque ferit innumeras pravis cogitationibus, & omnis generis excessibus.

II. Im-

II. Imponitur capiti recens baptizati vitta candida, vel totus obtigitur indusio, vel stolâ alba: hoc ritu insinuatur fidelibus, quâm puram innocentemque, ab omnibus sordibus remotam vitam ducere debeant Christiani. Scisne, in quo consistat hic morum candor, hæc innocentia vitæ? Ecclesia hoc tibi explicat in illa oratione, quâ ita ad Deum clamat: *Da cunctis, qui Christianæ professione censemur, & ea respuere, quæ huic iniuria sunt nomini, & ea, quæ sunt apta sectari;* nimirum ut declines à malo, & facias bonum.

Quod est officium arboris silvestris in nobilem, & fertilem hortum translatæ, & transplantatæ? ut non amplius ferat fructus acerbos, silvestres, immaturos, sed suaves, nobiles, & excoctos. Nos omnes eramus ab ipsa nativitate arbores silvestres, incultæ, steriles, terræ per peccatum originale patiter corruptæ, & maledictæ, nonnisi spinas & tribulos proferenti implantatæ, aridæ, & ad producendos fructus vitæ, sine succo & rore gratiæ, prorsus ineptæ; sed per Baptismum fuimus Christo conjuncti, insiti & in fertilissimum Ecclesiaz hortum transplantati. Nostrum jam est non primi trunci, id est Adami, naturæ & inclinationi similes, sed Christi, secundi Adami, cui insiti sumus, voluntati, ac desideriis pares afferre fructus.

C

I. Ita.

1. Itaque nullum amplius fructum corruptæ radici connaturalem producas oportet, & abhorreas ab omni eo, quod nomen Christiani dedecet: *respuere*, quæ huic inimica sunt nomini. Peccatum à Christiano commissum longè gravius, & indignius est, quam quod paganus committit, juxta doctrinam D. Thomæ 2. 2. q. 10. art. 3. ad 3. ob suscepsum Baptismi mysterium sive Sacramentum, dissimulatis interim aliis circumstantiis; nam fidelis suo peccato speciale aliquam injuriam infert toti divinitati; divino Patri, qui ipsum in Baptismo adoptavit in filium; Verbo Incarnato, cuius factus est frater, Spiritui sancto, qui ipsum per Baptismum absterfa omni labefactificans, in suum, quod imposterum semper incoleret, vivum quodammodo templum consecravit; hinc colligere potes gravitatem tuorum peccatorum, quæ tibi hodie in Meditatione ob oculos posuisti.

2. Nec sufficit malum fugere, faciendum insuper est bonum, nisi cum Evangelica arbore fici, quæ copiosa, & viridantia folia, sed sine fructu proferebat, condemnari ad securim, ad ignem velis. Quid est aliud, facere ad aras, celebrare missæ sacrificium, recitare preces, sive horas Canonicas, concinere in choro, auscultare verbum Dei ex Cathedris propositum à sacris oratoribus, sed ex arida consuetudine,

ad

ad fallendum tempus ex respectu humano,
sine omni sensu devotionis, aut animi ad
Deum eretti, sine omni scintilla fervoris,
quam proferre viridantia, & elegantia to-
lia, sine omni fructu?

Narrat Victor Uticensis, cum Vandalica
persecutio contra Catholicos in Africa ma-
xime ferveret, ac fureret, inter alios Ca-
tholicos etiam certum Diaconum, Muritam
nomine, ab Elpidiphoro Judice ad tribu-
nal citatum, comparuisse, cum alba veste,
quam brachio impositam secum ad tribunal
ferebat, & quamprimum in conspectum ju-
dicis Elpidiphori, perfidi Apostata, quippe
qui à Catholica fide defecerat, venit, eam
ante ejus oculos distendit, in hanc justam
prorumpens exprobrationem: Perfide apo-
stata, en vestem, qua indutus fuisti, cum
ex sacro Baptismatis fonte exscendisti, sig-
num candoris morum, & innocentiae,
quam ex hoc lavacro hauseras. Hanc ego
hucusque servavi studio, & cautele custodivi,
ut hæc, etiam me tacente, tibi tuam ex-
probraret sacrilegam perfidiam, & Apostat-
iam, tæque suo candore in ruborem, sita-
men non omnem jam exuisti, & fontem
perfricuisti, daret. Hæc te non jam judi-
cem, sed reum coram divino tribunali in
extremo judicio coram toto mundo accu-
sabit, hæc tua augebit tormenta æterna in
infernali barathro, quod famelico & hiante

C 2* rictu

richtu te bolum pinguissimum deglutire jam nunc intendit.

Similem orationem invectivam tu quoque à tuo custode Angelo expecta in decretria, & ultima mundi die coram divino judice Christo, si ab iis, quæ in sacri Baptismatis fonte sanctè spopondisti, turpiter descilcas; ut tamen hanc evites, jam nunc sollicitus esto, & omnem diligentiam adhibe, ut mores tuos emendes, & id omne abstergas, quod candorem vitæ Christianæ convenientem inficere, & maculare posset.

III. Tandem fax vel candela ardens baptizato, vel si ipse huic sustentandæ sit impar, patrino in manus porrigitur. Hoc ritu exprimitur bonum exemplum, quo fideles omnibus prælucere debent: *Luceat lux vestra coram hominibus.* Matth. c. 5. Jam tria perpendito.

I. Obstringeris cavere omne malum exemplum, omne scandalum, ne probro sua Christianæ religioni, eamque contemptui exponas, ac ludibrio. Etiam unus unicus tantum Religiosus totum suum, ut ut sanctissimum & clarissimum Ordinem pravis suis moribus denigrare, & infami macula notare potest: id ipsum senti & dicio de scelerato Christiano, qui sua infami vita religionem Christianam incestat, & omnibus deridendam proponit.

Ejus.

Eiusmodi turpem maculam ac notam Deus in domo sua summè nauseat & abhorret. Tu ipse facilè dissimulabis ignominiam clam tibi inustam; sed ubi publicè argueris, & ignominiam notaris, excandescis enim verò contra effrontem calumniatorem, nec antè quiescis, quām foeda macula sit eluta. An non id ipsum de Deo sui honoris zelote accrimo judicabis? *Ve animæ eorum, quoniam reddita sunt eis mala.* Ila. c. 3. Tam certa, & inevitabilis est pœna scandali, ut de hac, quando Deus illam tantum minatur, loquatur, tanquam jam fuisset inficta.

2. Obstringeris alios virtutum exemplis, morum probitate ad paria facienda, & audenda exstimulare, tum ut honorem & æstimationem Christianæ Religionis, quam cum Baptismo suscepisti, promoteas; tum ut mala repares, & vulnera sanes, conditioni & statui tuæ, quam profiteris, vitæ nimis profundè inficta variis, & non paucis scandalis.

Detractionio secreta sanatur & emendatur per revocationem pariter secretam, sed si verbis, vel factis probrosis & scandalosis honorem & famam religionis Christianæ Catholicæ lœsisti, hanc non aliâ, quām publicâ emendatione & retractatione reparabis, & compensabis. Opus igitur est omnes vanos timores, & respectus humanos proterere, & vincere; absit ut illa vecundia, ille timore nunc retrahat à vir-

tute, qui trius te non potuit retrahere i-
vitio: exhibuistis membra vestra servire iniqui-
tati, nunc exhibete membra vestra servire justitiae
ad Rom. c. 6.

3. Dum bono exemplo aliis prælucere
studes, nihil aliud specta, quām Dei glo-
riam, & honorem Christianæ fidei in Bap-
tismo suscepτæ. Si per opera tua bona ali-
ud quid humani præter Deum, & cœlum
quæreres, virtus & probitas tua non genui-
na, sed adulterina, & mera hypocrisis fo-
ret: difficultates in virtutum exercitio oc-
currentes tibi tolerandæ forent, sed nullus
inde fructus decerpendus: in te caderet il-
lud Aggæi c. I. seminâstis multum, & intulisti
parum . . . & qui mercedes congregavit, misit eas
in sacculum pertusum.

Quis dolor, quæ pœnitudo ad finem
vitæ te obrueret, si cerneret, te tot ac tan-
ta fecisse, & tulisse, quæ suffecissent ad
comparandam tibi gloriam magni Sancti, si
omnia fuissent monetæ solidæ ac genuinæ,
& non falsæ, adulterinæ, & debito pon-
dere carentes, nuces sine nucleo, poma
Sodomica, ita ut nec minimum meritum
ex iis extundere possis: viri divitiarum nibil
invenerunt in manibus suis. Ps. 75.

Con-

Consideratio quinta.

Pro III. die prima.

De obligationibus Ecclesiastico propriis, si consideretur ut mor- talis.

Omnis nos, tanquam condemnati ad mortem, subjacemus tribus obligationibus, à quibus nemo eximitur. Prima est, ut in memoriam constanter reducamus necessitatem nos maturè præparandi ad mortem. Secunda, ut hanc præparationem non differamus usque ad ipsam mortem. Tertia, ut sciamus. & præviè exerceamus modum & methodum hujus tam necessariæ præparationis.

I. Considera necessitatem te præparandi ad mortem. Necessitas se priùs parandi ad aliquam functionem instantem oritur ex dupli capite; ex gravitate negotii suscipiendi, & ex imperitia, vel non sufficiente experientia negotium suscientis: & ex utroque hoc capite consurgit necessitas se maturè, & sedulò præparandi ad mortem.

II. Iter, quod tibi in morte suscipiendum, saltus ille, qui faciendus, ex hoc in alterum mundum, ex procelloso hujus vitæ pelago in littus æternitatis, est summi momenti;

C 4

ex

ex hoc enim dependet felix, vel infelix æternitas, vel gaudiorum, vel tormentorum. Non hic agitur de amittendis vel acquirendis aliquot pedum, vel palmarum fundis, prout in litibus civilibus contingit; non agitur de amittenda, vel conservanda vita, prout agitur in causis criminalibus: & tamen ut hæ, & similes causæ, in quibus agitur de commodis, vel incommodis levibus, brevibus, & transitoriis, optatum sortiantur exitum, quid non agitur? agitur de acquirendo, vel amittendo regno cœlesti; de æterna animæ salute servanda, vel perdenda. Si anima in suo ex hac mortali vita egressu à cœli angusto tramite aberret, æternum erravit, errore nunquam amplius emendabili. Si post mortem appellis in portum salutis æternæ, æternum salvus, & extra omne periculum eris; si appellis ad portas inferni, æternum periisti, spem salutis omnem amisisti.

Potestne solemnior stultitia excogitari, quam raro vel nunquam cogitare de itinere æternitatis necessario ineundo, de hoc ritè instituendo, de parandis omnibus ad hoc bene auspicandum, & conficiendum necessariis, cum agatur vel de æternis pœnis, vel de æternis praemiis? si certus essem, tibi non nisi post decem, vel viginti lustra morendum, & ex hoc orbe decedendum esse, excusari, & tolerari adhuc posset dilatio præparationis necessariae ad fatale illud punctum,

&

& decretorum momentum; sed tu incertissimus es, & ignoras penitus, an non hic, quem vivis, annus, hic mensis, hæc hebdomas, hic dies tibi sit futurus ultimus, & supremus: & nihilominus, altum stertis, & vivis incurius in negotio tanti momenti!

Si domum emere intendis, quam cautè, & sollicitè non procedis? quam circumspetè non omnia examinas, antequam contractus concludatur, an tibi sit commoda, tuis usibus apta, an copiosam lucem per fenestras admittat, an incolas suo nitore & suâ elegantia exhibaret, vel potius tetricâ obscuritate animum obfuscet; an sit loco salubri, & sano aëri exposita, licet etiam post stabilitam emptionem in tua situm sit potestate, ac libertate, si domus empta non placeat, in aliam migrare habitationem, & domicilium aliò transferre. Sed hujus conditionis non est domus æternitatis, cui magnis & citatis appropinquas passibus: *Ibir homo in domum æternitatis sue.* Eccle. c. 12. Hanc ubi semel subiveris, nunquam amplius mutare, aut deserere poteris, sive sit regia sedes gloriæ, sive sit carcer igneus, & sedes tormentorum, in hac æternum tibi erit hærendum, sive æternum misero, sive æternum beato, omni spe & omni metu in æternum excluso.

2. Qui in expediendo magni momenti negotio nec sufficientem scientiam, nec experientiam habet, temporis necessarias ad

*^E sa id

id feliciter conficiendum præparationes
præmittere debet. Quantam diligentiam
non adhibes, ut paratus accedas ad examen,
in quo dignus inveniaris, qui ad sacros Or-
dines admittaris; quot libros non lustras,
consulis & scrutaris, ut in concursu pro-
pingui aliquo beneficio bravum conse-
quaris: ut cum honore & laude publicè ad
populum, ad nobiles, confertosque auditores
dicere possis, præsertim si in arte dicendi
rudis, & non versatus sis! & cùm in arte
bene moriendi omnino rudis, multò minus
versatus, & exercitatus sis, aut esse possis,
non curabis, nec cordi habebis hoc mo-
mentum, hoc iter tremendum: à quo pen-
det æternitas.

Si judicum quispiam reo ad mortem con-
demnato tempus, suô judicis arbitriô pro-
lubit determinandum concederet, quo in-
terim se in arte dextrè jaculandi ad metam
exerceret, hac conditione addita, si post-
modum in orbe pro meta proposito, ar-
etiorem orbiculum centro proximum tuo
i&tū, qui tamen concedetur unicus, tetige-
ris, in præmium accipias regnum integrum,
& quidem æternum, si autem ab hoc ab-
erres, in pœnam vivus projiciaris in rogum
ardentem, & quidem nunquam extinguen-
dum; putásne, reus tempus hoc à judice
ex mera clementia concessum, & incertum
inutiliter combureret, & inutiliter ludendo,
otiendo, saltando, bacchando in symposiis,
in

in voluptatibus transigeret omni neglectâ
cura se exercendi in arte, & dexteritate
jaculandi ad metam, ad dextrè vibrandum
ictum illum unicum, à quo pendet ejus
summa felicitas, vel summa infelici-
tas?

De te narratur hæc fabula, si ita colli-
mes, & te jam nunc exerceas, ut morte fe-
lice scopum tibi præfixum tangas, regnum
indipisceris cœleste; si ob tuam incuriam, &
hinc ortam in hac arte imperitiam primo
ictu, id est, morte infelice à præfixo scopo,
aberres, toto cœlo aberrâsti, victima justi
furoris domini ardebis æternūm. Et tu
sciens, & agnoscens te in hac momentosa
arte rudem admodum, & inexpertum hoc
iter, hunc transitum ex hoc in alterum or-
bem, periculi & horrois plenum rectè in-
stituendi, non cogitas, non curas, ut ad
hoc te disponas quàm potes optimè?

II. Perpende necessitatem, & obligatio-
nem, quæ te premit, ne præparationem
ad mortem usque ad ipsa mortis confinia,
ad ultimum morbum fatalem differas, &
indies emendationem tuam procrastines, &
hoc ob triplicem causam.

I. Quia tunc forsan tempus deficiet, &
non erit amplius; quod quàm plurimis
cum æterno suo damno accidit, qui impro-
visâ, & subitaneâ morte occupati, in instanti
ex hoc in aliud orbem extrusi sunt, A-
verruncent superi, ne in nos quoque cadat
illud,

illud, quod de Julio Cæsare scribit Suetonius, qui nescio quām vastas in mente sua sibi finixerat rerum gerendarum idæas, sed talia meditantem mors prævenit. Non possumus nobis securitatem promittere ab hora in horam, cùm vitam nostram inter mille insidias singulis momentis protrahere cogamus, quas prospicere, & vitare non possumus; insidiantur nostræ vitæ hostes externi, tot nempe creaturæ animatæ vel inanimatæ, quot nobis mortem inferre, & vitam auferre possunt; tot hostes interni testi, subdoli quot nempe humores, venas, arterias, viscerum, & intestinorum defecctus, & pestes, in corpore nostro circumserimus.

Hinc Christus in quolibet ex quatuor Evangeliiis læpiüs nos monet, & hortatur, ut vigilemus, ut parati simus, & expectemus adventum Domini. Nunc proponit nobis virgines expectantes sponsum revertendum à nuptiis, horam tanzen adventū ignorantes ut vigilantiam prudentium imitemur, & fatuarum incuriam detestemur; alibi nobis ob oculos ponit servos sollicitè præstolantes dominum suum à nuptiis reversurum; nunc vigiles, & custodes nocturnos, qui timent, ne hostis in prima, secunda, vel tercia noctis vigilia dormientibus improvitus superveniat; alibi illos domesticos, qui timent, & sollicite tota nocte observant, nefares nocturni ex improviso, tenebris testi irruant,

irruant, domum expilent, & eventant.

2. Si etiam tempus ad pœnitentiam agendum, & præparationem morti imminentis præmitendam non defuerit, tamen illo non uteris. Decipient te ipsi consanguinei, familiares, & amici tui, crudeli quadam pietate inducti; fors ipsum sacerdotes iectulo tuo adstantes, si qui tamen admoniti, & vocati fuerint, tibi, & forsan etiam sibi metiis persuadentes, periculum non esse tam magnum, multò minus tam propinquum: quod si aliquis ex animæ vel corporis medicis cordatior, & sincerior, salutis tuæ consulturus, te liberè illis verbis admoneret, quibus Isaias c. 38. olim Regem Ezechiam allocutus est: *Dispone domui tuæ, quia morieris*, tu tibimet ipsi blandieris, & aversaberis tanquam indiscretos, & impotentes monitores, qui tibi in tanto periculo, quod tamen agnoscere recusas, quam optimè consultum volunt: & cum jam assueveris per vitæ hactenus actæ decursum differre pœnitentiam, & conversionem ad Deum; etiam tunc eam differes à meridie usque ad vesperum, ad noctis silentium, ac quietem, ab hac usque in manè crastinum, magis serenum, & his curis aptius, quando superantibus morbi viribus, tuis vero fractis & exhaustis ad pœnitentiam, ad conversionem inceptus, vel omnino jam mortuus eris.

3. Etiam si nec tempus, nec voluntas hoc bene utendi defuerit, innumeræ tamen & maximæ comitari solent difficultates pœnitentiam & conversionem eò usque dilatam, in vita limine suscipiendam; hanc tibi difficultatem reddet dæmon, qui tunc collectis viribus & iris duplicabit fraudulentas suggestiones, temptationum acerrimos assultus, immens, ne sibi præda tamdiu possessa ex unguibus eripiatur. Difficillimam tibi hanc reddes tu ipse totus languidus, debilis, timbimet ipsi gravis, doloribus acutissimis exagitatus, internis animi curis, timore mortis jam proximæ, & jugulo imminentis perplexus.

Illi ipsi, quorum vita prævia nihil aliud fuit, quam sedula præparatio ad mortem, & constans exercitium omnium virtutum, præsertim fidei, spei, charitatis, & perfectæ contritionis, summam experiuntur difficultatem in illo rerum articulo ejusmodi actus toties repetitos, & frequentatos elicendi: jam cogita, quas ergo difficultates passuri sint in his tunc eliciendis, qui tamen necessariò elicendi sunt, illi, qui hos vel nunquam, vel rarissimè toto vita transactæ tempore elicuerunt, vel elicere conati sunt, nec piam consuetudinem aut habitum in his virtutibus, sed potius in oppositis, & diversis vitiis contraxerunt, & quotidie auxerunt,

Diffi.

Difficultates non minores emergent ex parte Dei tunc placandi, sine cuius gratia & auxilio hæc seria & vera conversio obtineri non potest: & hac tam necessaria gratia tene dignum reddidisti? an hæc tibi à Deo non jure merito negari potest? si autem Deus tibi etiam tunc suam gratiam non deneget, sed concedat, timeo ne ex illo gratiarum genere sit, quibus adjutus pœnitentiam seriam agere, & ad Deum te convertere posses, sed nunquam acturus, aut te conversurus es, & non ex illis specialibus, efficacibus, & victricibus, quibus certò cessurum cor tuum durum prævideatur.

Viator, qui fluvium non procul à scaturigine sua adhuc tenuem transfilire, vel exigua trabe stratum transire neglexit, animo illum postea, inferius ubi longius à fonte progressus fuerit, trajiciendi eò non raro delabitur, ut magnis aquarum incrementis audum, & tumidum, nec transvadare, nec tranare, nec ponte junctum trajicere possit, quod sibi evenisse conqueritur Ezechiel. c. 47. *Et non potui pertransire, quoniam intumuerant aquæ.*

III. Considera modum & normam, quæ tibi observanda est, ut te ritè præpares, & disponas ad luctam ultimam, ad mortem: hæc tibi præscribit tres Regulas.

I. Ut incipias à præparatione remota quæ in hoc consistit, ut cum Deo in gratiam

am ocyūs redeas, si hunc, in grave peccatum forte prolapsus, à te expulisses; ut hoc consequaris sine mora ad præscriptum Remedium, ad Sacramentum pœnitentia convola; fors non abs re foret, si totius vita tua haec tenus actæ rationes percurreres, & generali exhomologesi expiares deprehensos errores, etiam in hunc finem, ut si qui defectus in priores tuas confessiones unde unde tandem irrepüssent, hoc modo emendarerentur.

Adjungenda subin certa vivendi methodus virum Ecclesiasticum, ejus statum, gradum, & dignitatem decens, frequentiore Sacramentorum usu, vel etiam administratione, & bonorum operum exercitio, fugā non solū peccati, & omnis mali, verū etiam omnis occasionis ad malum, imo & suspicionis. Paucis: remota, & optima ac constans præparatio ad bonam mortem, est bona vita.

Arbor, quando succiditur, in illam cadit partem, in quam jam priùs pendebat, & vergebatur: quæ vergebatur ad sinistram male incurvata, nunquam cadet ad dextram. Difficillimum est, ut qui vitam ducit dissolutam, exlegem, hanc claudat morte sancta. Qui se vorticibus rapidissimi fluminis ferri & abripi sinit ad finem se in maris abyssos deprehendet evolutum; qui ex præcipiti & prærupto monte decurrere, aut cadere insipit,

cipit, cursum, vel casum non suster, quam in profunda valle.

2. Secunda præparatio ad bonam mortem jam non ita remota, sed aliquantum propinquior est, ut nunc te illis expediās, vel illa facias, quæ ad mortis articulum dilata non exiguae molestias, & turbas tibi ciere possent, vel quæ tunc facta fuisse voles, & non facta fuisse gemes. Æs alienum, si quo premeris, nunc solve, debita expunge; si quæ restant legata, aut alia onera adimplenda, nunc adimple: conde justum, & æquum testamentum, animæ tuæ non immemor adhibitis omnibus cautelis ad evitandas tricas & lites, dum corpore & animo vailes.

3. Tertia & adhuc propinquior præparatio ad mortem erit, si omnia opera ita peragas, quasi singula essent ultima, quæ tibi in hac vita essent peragenda: quævis confessio, sive animi expiatio, ac si esset ultima, nec unquam amplius esset copia peragendæ confessionis &c, singulis mensibus certam tibi felige diem, qua in teipsum inquiras, & probes, an jam ad mortem paratus es: imaginare tibi, elusis iam pharmacorum omnium viribus spem convalescendi à Medicis tibi adimi omnem, & certam, ac propinquam denuntiari mortem. Hac ipsa die, quæ ad salutem tibi, repeate saepius illos actus fidei, spei, charitatis, contritionis, resignationis in divinam voluntatem alia-

*D.

rūmque

rūmque virtutum, nīisque eliciendis & reperiendis assuesce; accepta mortem, ultro te huic inevitabili necessitati subjice, in satisfactionem, & justam pœnam tuis peccatis debitam offer; percurre, jam nunc præmitte, & ipse tibi prælege commendationem animæ, quæ tibi cum morte luctanti, & fortè jam sensibus destituto prælegitur.

Ne in fabricis extruendis error, qui deinde vel omnino non, vel certè nonnisi diffidillimè, & magnis expensis corrigi possit, committatur, architecti priùs fabricæ, palatii, ædis sacræ, vel prophanæ idæam exactè delineant, vel ex ligno simulacrum aliquod efformant, ut etiam minima quæque in illo spectari, & ad trutinam vocari possint. Hos imitare, disce mori, dum vivis; prælude huic decretoriæ pugnæ certamine quasi ludicro; exerce te sæpiùs, ut cum præliandum erit cum dracone, & cum morte decertandum, scitè noveris armata tractare, & devictæ morti victor insultare possis verbis illis: *ubi est mors victoria tua?* 1. Cor. 15. & experiri illud Apocalypsis c. 14. *Beati mortui, qui in Domino moriuntur.*

Con-

Consideratio sexta.

Pro III. die secunda.

De obligationibus, quibus homo
Ecclesiasticus obstringitur conside-
ratus ut confirmatus, & sa-
cro Chrismate inun-
ctus.

TRes Ritus, quos in administratione hu-
jus Sacramenti Episcopus adhibet, oc-
casionem præbent considerandi tres obliga-
tiones, quæ imponuntur Sacramentum sus-
cipienti. Imprimis signum crucis immerso
in Chrisma pollice imprimit fronti, in sig-
num, Christiano per hoc Sacramentum ro-
bur, & animos conferri, ut non erubescat
Evangelium, & fidem Catholicam publicè,
coram Regibus & principibus fronte apertâ
profiteri non horreat.

2. Infligit illi alapam, ut admoneatur ini-
victo, & impavido animo Christianis perse-
rendas, & devorandas esse quasvis injurias,
contumelias etiam palmares, ludibria & con-
temptus, cùm vix aliquid majorem contem-
ptum inter homines sapiat, quam publica, &
sonora alapæ inflictio.

3. Coniunctas invicem ambas manus
pandas ipsius vertici imponit, in signum, à
Christiano homine supernos influxus, inspi-
rationes, & illustrationes avidè excipiendae,
& cum fructu fovendas, nam juxta
Tertullianum Libr. de Resur. manus impositione
adumbratur, ut anima Spiritu sancto illumine-
tur.

I. Obligatio publicè & aperte profitendi
Evangelium, & Evangelicas veritates te ob-
stringit ad omittendum aliqua, ad facien-
dum alia; sic exigit, ut non spernas, aut
derideas sanctitatem, sacras cæmonias; &
hoc omittas; sic postulat, ut à Christiana
modestia, pietate, & virtutis studio propter
derisiones, sibilationes, satyras & ludibria
non desistas, sed stes immotus; & hoc faci-
as. Jam ad trutinam.

An & tu ex hominum illorum es grege,
qui explodunt, & sarcasmis impetunt alios
pietati deditos? si es, duorum causa es ma-
lorum; unum te, alterum præmit tuum
proximum; nam ejusmodi innocentia &
pietatis derisores gravi se culpa obstringunt,
quæ eò gravior est, quò major & dignior
persona est, quæ deridetur, & causa prop-
ter quam deridetur, injustior, quò major
honor, & submissio competit & debet ut
deriso, & quidem propter illam ipsam cau-
sam, propter quam tamen præpostere de-
ridetur.

Nun-

Nunquam pejor & gravior deriso contigit, vel audita est, quam fuerit illa, qua Christus exceptus fuit in coronatione sua spinea, sive spectemus personam derisam sive honorem, reverentiam, & submissio nem ipsi debitam, ob illam ipsam dominandi, & regnandi potestatem à Deo concessam, & à Prophetis prædictam, ob quam derid culo & ludibrio habebatur, tanquam syco phanta, rex fanaticus, & imaginarius. u Santos & probos homines contemnere, & p ludibrio habere ob ipsam suam sanctitatem, & probitatem, gravissimum peccatum est; sic docet Doctor Angelicus. 2. 2. q. 75. art. 5. *gravissimum est irridere DEUM, & ea, quæ DEL sunt.*

Michol deridere, & aculeatis verbis contemptim mordere ausa est Davidem, cui omnem venerationem, & submissionem debebat, quippe & regi, & marito suo. Summopere displicuit Deo tam grande peccatum, præsertim ex eo capite, quod causam tam amare carpendi & vilipendendi Davidem sumpserit Michol ex ipsa probitate, & pietate ipsius, qua ante Arcam Domini saltare non erubuit, ejus honorem apud populum aucturus, & promoturus hinc Michol punta fuit sterilitate, pœnâ tunc temporis, probrosâ, nullis ex se relictis posteris. Sic puniuntur à Deo justè probitatis & sanctitatis derisores, subtra

* D 3^o *& tione*

Etione scilicet cœlestium Benedictio-
num.

Proximo autem ejusmodi contemptu vita
probæ, damnum infers maximum, dum
illum non tantum impedis, & retrahis à
bono, sed etiam impellis ad malum. Pro
grandi habetur criminè, siquem à confe-
cutione notabilis emolumenti, officii, lu-
cri temporalis injustè impedias, longè magis,
si cui non jam crumenam, sed ipsam vi-
tam eripias: quām grave igitur crimen non
erit, injustissimè impedire proximum à
maximo emolumento, & lucro spirituali ip-
sique eripere vitam animæ æternam? vñ
similibus contemptoribus, irrisoribus, &
probitatis satyricis eversoribus in extremo
judicio, ipsis præ omnibus aliis pavendo!
parata sunt derisoribus judicia. Prov. 19. coram
universali illo omnium hominum & Ange-
lorum in unum collectorum conventu co-
gentur revocare lensa, & mentis suæ falsa,
deceptoria judicia verbis illis Sap. c. 5.
Nos insensati vitam illorum aestimabamus insaniam.
& suismet irrisionibus amaris & mordaci-
bus, quibus aliorum probitatem impiè ar-
rodebant, tunc propriam improbitatem de-
ridere, imò amaris lachrymis deflere debe-
bunt.

2. Altera obligatio tibi incumbens, publi-
cè, in ipsa fronte profitendi omni timore
hominibus displicendi & vano respectu pe-
nitus deposito Evangelium, hujus doctrinam,

&

& Christianam pietatem, in ipso jam Da-
vide ante arcam saltante primitus reluxit, &
tibi proposita est, cum irridenti, & pietati
suae acerbos dentes infigenti uxori pia in-
dignatione generose reposuit: *Anie Deum*
- - *vilior fiam, plus quam factus sum. L. 2. Reg.*
c. 6. v. 22. Quibus subjungere poterat,
quod postmodum cecinit Ps. 115. *Vota mea*
Domino reddam coram omni populo. In mentem
revoca præmium, quod hos pie impuden-
tes, & sanctè effrontes Dei servos manet;
si deridentur, & carpuntur à stultis, laudan-
tur & extolluntur à prudentibus; quin si to-
tus mundus contra ipsos conjuraret, mille
convitiis, probris, ludibriis illos impeteret,
sardonii risibus exploderet, tamen æstima-
rentur, laudarentur & benedicerentur à Deo:
maledicent illi, & tu benedices. Ps. 108.

Memineris è contrario etiam pœnæ, quæ
ejusmodi momis, cavillatoribus, & sacrorum
derisoribus, tum & illis pusillis, ignavis, &
væcordibus Christianis, qui se similibus sar-
castis, & irrisioibus deterreri à Christo,
à via virtutis abduci, ad latam vcid & laxam
viam, & vitam juxta pernicioas mundi excæ-
cati regulas decurrentam deduci sinunt,
hanc statuit & promulgat Christus Luc. c. 9.
Qui me erubuerit, hunc filius hominis erubescet,
tum venerit in maiestate sua, & Patris, &
sanctorum Angelorum.

II. Obligatio, quæ te adstringit ad fortius tolerandas injurias, te simul adstringit ad omittenda aliqua, ad facienda alia. Sic adstringeris ad non habendos odio tuos offendores, adversarios, & inimicos; insuper adstringeris ad amandos hos omnes.

1. Teneris nec interno rancore aut odio aversari, nec externis factis, internæ iracundiæ testibus, persequi calumniatores, & inimicos tuos. Internum odium prohibetur Levit. c 19. *Non oderis fratrem tuum in corde tuo.* O quam proclive & facile est, in hoc deficere! quam facileridulantur in corde offensi certæ animi aversiones, & amaritudines, certæ indignatiunculæ erga suos inimicos, certæ complacentiæ, dum preluntur & affliguntur, certæ displicantæ & tristitiae, quando prosperè & ad vota ipsis fluunt omnia; quando extolluntur te neglecto, & omnibus in pretio sunt.

Multi, ut se excusent, dicunt, se non odisse peccatorem, sed ejus peccatum, non indignari isti vel illi, sed eorum perversis moribus. Sed nimis difficile & pericolosum est, uti ejusmodi præcisionibus, & distinctionibus. Verum si culpam aversaris, & odisti in aliis, cur hanc amas & amplecteris in te metipso? an forte tua, in te residens culpa tam turpis non est, quam culpa aliena, tuis inimicis inhærens? ne fidas dolosæ huic, & fucatæ excusationi, nec innitaris; nam non minus odium, quam amor excusat;

qui

qui odit fratrem, in tenebris est, nescit, quò eat,
quia tenebrae obceaverunt oculos ejus. I. Joan.

C. 2. ¹⁵⁶³ Nec externis signis odium erga inimicos

prodere, aut illos a communibus amicitiæ,
& Christianæ charitatis officiis excludere
licet: & illos salutare oportet, si alios simi-
lis sphæræ homines salutare soles, salutem
reddere, si quis prior impertivit; nec sto-
machoso cum silentio illi tergum obvertere,
nec ejus occursum, vel coniectum studio-
sè vitare, nec male de ipso, aut ejus con-
sanguineis, affinibus, amicis & familiari-
bus loqui. Paucis complectar omnia: non
satis est inimicos non odisse, sed necessari-
um insuper est, nullum odii signum exteri-
us demonstrare; alias si millies afferas, &
asseveres, te inimicos tuos nullatenus odi-
se, facta tua coram omnium oculis verba
tua mendacia publicè convincent.

2. Ut autem inimicos etiam ames, &
hunc amorem factis comprobes, mandat
& imperat ipse Deus. *Ego dico vobis; dili-
gite inimicos vestros.* Matth. c. 5. qui non diligit,
manet in morte. I. Joan. c. 3. Non solum qui
odit, sed ille etiam, qui non amat, graviter
errat: hinc ob Innocentio XI. proscripta
est hæc opinio; *non tenemur proximum diligere
actu interno formaliter.*

Verum quidem est, quòd præceptum de
diligendis inimicis non obliget semper, &
pro semper, sive ad omnia & singula mo-
menta;

*D s. ^{ODISSES}

menta; sed tunc solum, quando inimic
tuus necessitate pressus tuâ potissimum ope,
& operâ indiget, vel tuum grave odium
contra ipsum inimicum aliter à te depellere,
& excutere non potes, nisi tales inimicum
amandô, & seriô amoris actu prosequendo:
ubi ergo simile quid evenerit, obstringeris
inimicos tuos non tantum interno amore,
& vero cordis affectu prosequi, sed insuper
egentes juvare, ipsisque succurrere, opem
ferre, vel etiam beneficia exhibere. Exem-
plum dedit nobis Christus ex ipso crucis
patibulo, apud patrem suum divinum ar-
dentissime intercedens, & orans pro suis
crucifixoribus, documentum jam prius da-
tum Matth. c. 5. exemplo firmans: *benefacite
his, qui oderunt vos, & orate pro persequentibus,
& calumniantibus vos.*

III. Tuum est, ut divinas illustrationes,
& superna lumina petas, reverenter exci-
pias, perpendas, illas sequaris, & adim-
pleas.

I. Necessarium est, ut cum cœco Evan-
gelico lumen à Deo petas, & saepius inge-
mines. *Domine ut videam.* Luc. 18. Saepius
per orationem recurrere ad Deum non tan-
tum necessarium est necessitate præcepti,
sed etiam necessitate medii, & ut medium
necessarium ad obtainendum nobis præfixum
finem, vitam æternam. Si uberiore lumine
indiges ad clarius cognoscendas & pene-
trandas veritates æternas, pete, & accipies:

Si

*Si quis indiget sapientiam, postulet, & dabitur.
Jac. i.*

Prima auxilia, & gratiae prævenientes ul-
tro dantur à DEO, quin petantur, sed
perseverantia in benè cœptis, & gratia fina-
lis non conceditur, nisi petentibus, & o-
rantibus Augustino teste. Imò compluri-
bus ex sententia Bellarmini, unicum me-
dium consequendi salutem est oratio, quippe
omni alio medio destitutis, sola facultate
per orationem ad Deum recurrendi, & ejus
auxilium implorandi, exceptâ. Adimples tu
hanc obligationem, à qua nemo eximi-
tur?

Nullum melioris sortis Christianum in-
venies, qui non manè discusso somno, &
relicto lecto ad orationem profiliat, ipsas
diei primitias Deo consecret, & reliquis
actionibus piè præmittat, & transactæ diei
similem coronidem priusquam cubitum con-
cedat, religiosè imponat: tu forsan cum
illo tepidorum Sacerdotum genere sentis,
qui credunt abundè pietati se litâsse, si di-
urnum Canonicarum precum pensum, Deus
scit, quām tepidè & luridè, decurrant, qui-
bus aliquid alterius generis precum super-
addere supervacaneum credunt. Propone
& statue imposterum lege indispensabili
manè saltem medium horulam quotidie ora-
tioni mentali, noctu verò, antequam te
lecto des, quadrantem horæ discutiendæ
conscientiæ impendere. Hæc praxis pluri-
mis

mis fuit initium & medium ad seriam vita
& morum emendationem, in morte autem
solidum fundamentum firmæ spei salutem
consequendi.

2. Necessum est, lumina & illustrationes
supernas excipere, & sovere grato, & me-
ditabundo animo, has sæpius mente reco-
quendo, præse tim certis temporibus. Ha-
divinæ lucis scintillæ, quas Spiritus Divi-
nus tuo in corde spargit, & accedit, fa-
cile suffocantur, & extinguentur, si tu has
non excites idenidem flabro seriæ conside-
rationis, qua scintillas istas vivas conserves,
ut tandem in luculenta divini amoris incen-
dia eor tuum prorumpat. Expertus hoc est
David, ut ipsemet fatetur Psal. 38. *Conculuit
cor meum intra me, & in meditatione mea exar-
descerat ignis.*

Deus, ut scimus, illuminat omnem homi-
nem, qui venit in hunc mundum, & tamen
ex his plurimi ambulant in tenebris, & um-
brâ mortis, eâ de causa, quod tales illumina-
tiones mentis sint instar fulguris coruscantis,
in ipso splendidissimo ortu emorientis, nisi
animo, velut somite excipientur, & medi-
tatione in flamas excitentur.

3. Oportet obedire divinis inspirationi-
bus, nisi tempore mortis illis infelibus & à
Deo desertis accenseri velis, quibus triste-
llud epicedium accinitur: *Vocavi, & renuisi:
ego quoque in interitu vestro ridebo, & subsannabo.*
Prov. c. 1. Nec te absterreni finas à diffi-
cultate,

cultate, quæ occurret in vincendis, & destruendis malis habitibus, & induratis consuetudinibus, nam pugnabis non tuis solis viribus, sed aderit tibi virtus ex alto, Deus tecum pugnabit, & porrigit manum auxiliatricem.

Cave procrastines, & differas exequi divinas inspirationes, nem caro & citro tarditatem suam morosam luunt, qui moras moris necunt, & divinæ voci solùm tunc, quando ipsis commodum, & placitum fuerit, respondere volunt. Redemptor noster in distribuendis gratiis festinat, properat, ut monet S. Petrus Act. c. 10. pertransit beneficendo: ne & nos incurios transfeat. Et ideo observemus id, quod nos præmonuit Isaías c. 55. querite Dominum, dum inveniri potest. Imitare primos Ecclesiæ Catholicæ Antistites Petrum & Andream, Jacobum, & Ioannem, qui ad primam Christi invitantis vocem, continuo . . . statim relictis rebus secuti sunt eum, Matth. 4. Hortare te ipsum cum magno antistite Augustino mutuatis ab ipso verbis; Si aliquando, cur non modo? Lib. 8. Confess.



Con-

Consideratio septima.

Pro IV. die prima.

De obligationibus Ecclesiastici, si
consideretur ut poenitens.

Quisunque poenitentiam de suis erro-
ribus agere cupit, tria observare de-
bet. 1. ut reflectat animum ad tem-
pus praeteritum, & defleat mala commissa.
2. ad tempus praesens, & instituat novam,
& priore meliorem vitam. 3. ad tempus
futurum, & caveat relapsum in mala priora,
vel etiam majora.

I. In tres classes dividere potes lachry-
mas, contritionem, & dolorem. In la-
chrymas peccaminosas, indiferentes, &
salutares. Primæ antiquas mactulas, quas
elucere deberent, augent, & novis cumu-
lant. Sic evenit illis, qui stimulante invi-
dia tristantur, ac dolent de alterius felici-
tate, & suam reputantes infelicitatem, illi
amarè illachrymantur; qui laudibus proxi-
mo tributis mordentur, qui promotiones,
& exaltationes proximi audientes, & viden-
tes, uruntur, affliguntur, & se deprimi-
vilipendi existimant. Si de incolumitate,
& longiore vita illius moerorem concipis,

qui

qui sua morte tibi viam sterneret, & januam aperiret ad pingue hæreditatem, vel honorificum, & opulentum officium vel beneficium, aut te liberaret ab onere pensionis annuæ, dum vivit exolvendæ.

Deus nos creavit capaces doloris & tristitiae, qua destruere & emendare possemus admissa peccata; hæc sanare potest non alia medicina, quam hæc amara: quanta ergo stultitia, hanc applicare aliis morbis, & eos per hanc non tollere, sed augere, quanta dementia! in lachrymarum mari possumus mergere maximum, & infensissimum nostrum inimicum, omni Pharaone deteriorem, & mergimus nosipos!

2. Secundi generis lachrymæ sunt illæ, quæ nec malæ nec bonæ sunt, sed indiferentes vocantur: tales esse censentur lachrymæ, quibus descas damna temporalia, mortem patris, matris vel alterius boni amici, jacturam pecuniarum, litem desperitam, injuriam impactam, spes tuas delusas: hæ lachrymæ sunt aridæ, infructuosæ & inutiles, nec aptæ ad abstergendum malum, quod patimur & deploramus: lachrymæ risu dignæ, vel potius deplorandæ, ut iudicat S. Bernardus, Serm. de Magdal. plorandi sunt, qui taliter plorant. Quantum præstat, in tribulationibus ad Deum confugere, inde robur & auxilium accersire, & suam voluntatem divinæ penitûs substertere, ac conformare, illud Jobi repetendo:

do: Sicut Domino placuit, ita factum est.
Et si nomen Domini benedictum, c. i. v. 21.

3. Nullum ex omnibus malum est, cui dolor & lachrymæ medeantur, quam solum peccatum; & ex omnibus malis nullum minus, & rarius deploratur, quam peccatum, quod tamen est malum maximum, immo unicum: ipsæ adeò lachrymæ, quibus DEI hominis patientis cruciatus, & mortuus atrocissima deplorantur minus gratæ sunt ipsi patienti Christo, nisi prius impenduntur eluendis peccatis, quæ sunt unica causa omnium tormentorum suorum ad hinc tristieres illas, quæ inter copiosas lachrymas ipsum comitabantur, increpuit verbis illis Luc. c. 23. *Nolite flere super me, sed super vos ipsas flere.*

Lachrymæ illæ, quæ amicum, patrem, vel filium defunctum, quos deles, o suscitare, detrimentum illatum resarcire nequeunt, facile suscitare possunt animam gravi peccato imperfectam, & damnam omnia huic illata reparare. Sic peccatum, quod in mundum introduxit dolorem, ab ipso dolore extermatur, & extinguitur. Dolor iste de propriis peccatis unicum pœnitentis peccatoris solatum & gaudium esse deberet: semper de peccato doler, & de dolore gaudet. Ita D. Augustinus describit animam serio pœnitentem.

Non ignoras, ex duplice fonte promovere salutares lachrymas, ex amore DEI, &

& ex casto amore propriæ animæ: flendum ergo, quod peccando DÉUM in honora-
veris, & contempseris, & quod tantum
damnum propriæ animæ intuleris: Primus
dolor, primæ lachrymæ sunt omnium lau-
dabilissimæ, & perfectissimæ, quæ DÉO
tanquam infinitè amabili debentur, & im-
penduntur; dolor, & lachrymæ secundæ,
sunt minus perfectæ; debentur & impen-
duntur tibi meti ipsi, & tuæ saluti. Si cortu-
um tam aridum, durum & saxeum foret, ut
nec minimam doloris vel amoris lachrymu-
lam ex illo extundere posses, ad preces
recurre, & quemadmodum Axa Calebi filia
precibus à patre impetravit pro aridis suis
agris irriguum superius, & irriguum inferius. Jos.
c. 15. ita tu quoque à tuo cœlesti patre im-
petrabis tuis precibus utriusque generis
lachrymarum ac doloris fontem pro siccata &
exsuga cordis tui terra.

II. Si spectemus tempus præsens, anima
seriò ad pœnitentiam rediens obstringitur
ad arripiendam aliam vivendi methodum
& rationem. Seria & vera pœnitentia non
est, quam non sequitur vitæ & morum in-
melius mutatio: *ubi nulla emendatio, pœnitentia
vana.* Tertull. de pœnit. D. 3. Necessarium
igitur est, ut homo pœnitens in alium con-
vertatur hominem ab illo diversum, quem
se fuisse deflet, veterem exuat, & novum
induat, vela, & temonem vertat, novis,
probis moribus priores malos emendet, &

E

ex-

excuneet. Sic instruit S. Paulus suos Colossenses recens conversos Ep. ad Coloss. 3.
*exfoliantes vos veterem hominem cum actibus suis,
& induentes novum.* Ad peccandum usus es corde, lingua, manu: mutent ergo suum officium cor, lingua, manus; sic fies, & eris non homo vetus, ut prius, sed homo novus, & totus alius, qui Christum totum à capite ad calcem induerit.

1. Mutandum est cor, & induendum, ut in suis cogitationibus sibi peccatum non representet pro tenero catello, quod inter meras blanditias sinu foveatur, & nutritur; sed illud depingat, & intellectui objicit tanquam horridum & venenatum draconem, qualis reipsa est, velis remisque terrâ marique, modis omnibus fugiendum; mutandus cordis affectus, & amor, ut id quod prius amabas, & tenerrimo affectu complectebaris, & deperibas, nunc averteris, & extremo odio detesteris, abomineris & fugias: quasi à facie colubri fuge peccatum. Eccli. c. II.

Non unum tantum peccatum, non multa, sed omnia plus quam Vatiniano, irreconciliabili odio sunt detestanda, & fugienda; nec grave & mortale tantum, sed etiam leve, & veniale, nam etiam hoc verè peccatum, & ratio peccati invenitur in eo, nec solum peccatum, sed etiam periculum, facies, umbra, phantasma, & apparentia peccati à longè, cane pejus & angue sugienda

gienda est. Sic David genuina pœnitentium idœa & norma nobis exemplo præivit, qui non solum peccatum, sed ipsam etiam viam, quæ ad peccatum ducebat, fugiebat, & oderat: *omnem viam iniquitatis odio habui.* Ps. 118. E contrario cogitatio & imaginatio tua tuo intellectui objicere, & presentare debet pœnitentiam, virtutis exercitium, quæ tibi videbatur, & mendaci penitillo ab imaginatione depingebatur, & fine gebatur, horrida, terrica, & aspera, amabilem facilem, & amœnam, qualis reipsa est, veræ quietis, & solidorum solatiorum scaturiginem, ac basim.

2. Mutanda est lingua, & longè aliter loquendum imposterum est, quam hactenus de vitio de peccato, de moribus liberis, dissolutis, & de virtute, de vita modesta, pia, Religiosa locutus es. Si prius vocabas peccatum fragilitatem, exæstuantis naturæ impetum, venia dignum, malum non magni momenti, nec adeò curandum, mutandus est stylus; loqui disce à regio pœnitentium principe Davide ita loquente Ps. 24. *proprietaberis peccato meo, multum est enim.* Infinitâ misericordiâ tuâ, ô Domine, opus est ad delendum peccatum meum; opus est omnipotente brachio tuo ad illud destruendum; tam grande, tam grave illud est.

Si ita de peccato loqui didiceris, & assueveris, nunquam in villas prorumpes querere.

*E 2.
as,

las, si te Deus propter tua peccata castigaverit; sed loquēris & dices cum pœnitentia latrone in sua cruce: *digna factis recipimus*. *Luc. 23.* cum patiente Propheta: *peccavi, ut eram dignus, non recepi.* *Job. c. 33.* Si priùs de virtute, de piis operibus loquebaris contemptim, eaque traducebas, si pœnitentiam vocabas carnificinam corporis & animi, vitæ tineam, lætitiae barathrum, imposterum hæc omnia meritis laudibus extollenda, & inter spirituales hujus vita beatitudines numeranda erunt, juxta Evangelii sensa, & placita.

3. Murāndæ sunt manus, mutanda sunt opera: felix & Christiana metamorphosis, quâ fies ex avaro liberalis, ex lascivo castus, ex iracundo mansuetus, ex epulone abstinentis, ex inido plenus charitate fraternali, ex superbo humilis, & demissus, ex prodigo pretiosi temporis combustore, & ad inanes nugas, ad ludicras vanitates consumptore, parcus, & avarus hujus collector, ut nec minima particula tam boni ac pretiosi doni sine fructu intercidat, quæ non orationi, lectioni, aut piæ alicui occupationi consecretur, acerrimus otii olor, & fervens mortificationis amator. Memineris, te obligari ad restituendum, & reparandum DEO illum honorem bene vivendo, & operando, quem ipsi abstulisti male vivendo & operando.

III. In

III. In futurum prospiciens teneris carere relapsum, & redditum in antiquam syllavam. **Hæc cautela necessariò adhibenda** est ob omnibus, qui veram pœnitentiam agere decreverunt, ad hanc sollicitudinem fovendam, duæ te potissimum causæ impellere debent: Prima est, ut hoc modo te securum reddas, tuam pœnitentiam esse veram & seriam: secunda, ut hoc modo perseverantiam finalem tibi procures.

1. Si quis identidem de iisdem se peccatis, etiam levibus tantum accuset, quin ulla unquam emendatio sequatur, non sine causa timeri petest, ne pœnitentia non sit seria, & Sacramentum sine fructu. Sic magnis & gravibus peccatoribus justum timorem, & pavorem incutimus, si identidem in antiqua scelera relabantur, ex ipso relapsu, ne ipsorum pœnitentia, dolor, & propositum sint nullius valoris, roboris & fructus, & omnia tantum apparentia, & fucata: cur hæc non applicamus ne quis met. ipsis?

Non leve sæpius fundamentum, & argumentum est, credendi peccatores recidivos, non esse recidivos, in quantum nunquam reipsa ex suis loidibus surrexerunt, sed in illis semper jacere perrexerunt. Pœnitentiæ Sacramentum confert gratiam & robur, ut non relabamur; si ergo toutes, & tam facile relabamur, quam prius, non vanus omnino, aut panicus ejusmodi

E 3 rela-

relabentium timor erit, ne Sacramentum pœnitentiaæ non ritè, sed invalidè suscep-tum fuerit: est hæc fere communis sancto-rum Patrum vox & doctrina: *nunquam di-luunt peccata gemendo, qui non desinunt peccare post gemitum.* Fulgentius L. I. de Remis. c. 12.

Justis, ne temptationi consenserint, & suo cubuerint, timentibus, & anxiis, omnem timorem & anxietatem abstergere conamur, piis, & sanctis, quæ patrant, operibus, & innocentiaæ vitæ tenore nixi: tepidos, qui videntur pœnitentiam agere, terremus, & eorum non satis fundatam ac potius ima-ginariam credulitatem carpimus, & argui-mus ex tam frequentibus relapsibus.

2. Vx illi, qui semel è cœno suorum scelerum eluctatus, mox in eadem denuò relabitur! meritò timere potest, ne præcisiss omnibus iterum resurgendi mediis & meritis, in eodem cœno infixus hæreat, & im-pœnitus ibidem vitam suam finiat; tum quia pravus habitus indies crescit, & novas vires accipit, ita ut pedetentim in alteram, ac novam naturam, corruptæ nostræ na-turæ insitam abeat; tum quia dæmon suum mancipium fugitivum, sed paulò post ex fu-ga retractum fortioribus longè, quam antea stringit vinculis & catenis; *assumit se p̄tem alios spiritus nequiores se.* Luc. 11.

Tandem etiam, quia Deus videns con-temptam non solum legem, sed simul misericordiam

De obligationibus Ecclesiastici circa mortificat. 71

ricordiam toties peccatori exhibitam dese-
rit ingratissimum, toties relapsum hominem,
illisque privat auxiliis & gratiis efficacibus,
sine quibus nunquam resurget ; quamvis re-
surfere posset : terra saepe venientem super se bi-
bens imbre - proferens autem spinas ac tribulos,
reproba est , & maledicto proxima , cuius consum-
matio in combustionem, ad Hebr. c. 6.

Consideratio octava.

Pro die IV. secunda.

De obligationibus Viro Ecclesiastico pœnitenti incumbentibus circa mortificationes.

Cum omnis , qui per seriam pœnitentiam
errores suos delere , & se cum offend-
so DEO reconciliare cupit in hunc si-
nem variis asperitatibus se subjecere, corpus
domare , & effrænes suas cupiditates fran-
gere cogatur , opus est ut pœnitentia inte-
rior, si vera sit, secum trahat hanc pœniten-
tiam exteriorem , qua præter reatum culpæ,
etiam reatus pœnæ expungatur : expenden-
dum proin erit , quot & quæ opera pœnalia
fuscienda , & peragenda tibi sint.

E 4* I. Ut

I. Ut pœnam aliquam, sive macerationem aliquam corporis externam subeas pro peccatis, licet jam remissis, exigit tum Deus offensus, tum ille, id est tu, qui Deum offendisti.

I. Si DEUS culpam omnem remitteret, nullam exigens pro satisfactione pœnam, quod utique in ipsius arbitrio est, cum pro lubitu omni jure ex offensa contra offendorem sibi resultante cedere possit, demonstraret quidem suam omnipotentiam, dirumpendo peccatorum vincula, quæ non alia, quam omnipotente manu dirumpi possunt; demonstraret suam infinitam misericordiam liberando nos ab infinita miseria, quam tollere sola potest infinita benignitas Dei, sed non demonstraret infinitam sapientiam, quæ ex difficultate remedii, ad integrè expiandam culpam necessarii, ipsam culpam reddere debet difficilem, & amaram; non demonstraret suam justitiam, quæ novum splendorem inde accipit, quod Deus debitam satisfactionem pro offensis sibi illatis non solum ab anima; sed etiam à corpore complice, & ambobus læsa Majestatis reis districtè exigat.

Æquum omnino est, ut debiti ordinis iniqua perturbatio, nata ex nostris sceleribus, quibus nostram voluntatem perversam rectissimè voluntati divinæ prætulimus, corrigatur & reparetur, dum peccator cogitur sufferre plurimas adversitates, asperitates,

&

& afflictiones voluntati suæ contrarias,
conformes tamen voluntati Divinæ.

2. Decet & oportet offenditorem sive prævaricatorem etiam post remissionem culpam ad pœnam vocari, imprimis quia certum & indubitatum est, peccatum fuisse commissum, incertum vero, an fuerit remissum, cum semper dubitare liceat, an dolor noster de peccatis conceptus, illis fuerit instructus dotibus, quæ sunt necessariæ ad impe- trandum culpæ remissionem; hinc ad augendam certitudinem convenit aliis, & novis signis demonstrare animum serio pœnitentem, vindicando, & castigando injurias Divinæ Majestati illatas in seipso.

Deinde, etiamsi certum, & extra dubium esset, reatum culpæ deletum fuisse, remanet tamen reatus pœnæ adhuc delendus vel in hac vita per pœnitentiæ externæ pœnalia opera, vel post hanc vitam per flamas purgatorias, ac lustricas sanè acerrimas, ut docet Tridentinu[m] Sess. 14. Can. 30. Nobis autem ingenti lucro, & emolumento est, ut nobis ipsis purgatorium carcerem fabricemus in hac vita, antequam in rigidum illum carcerem à divina justitia extructum, ex quo nulli patet exitus, qui non solverit ultimum quadrantem, post hanc vitam intrudamur.

Præterea, etiam si reatus pœnæ etiam peccato jam remisso debitæ penitus sublatus esset, remanet tamen malus habitus ex-

tirpandus, ex quo tanquam ex infesta ra-
dice aliâs priora peccatorum germina facile
repullulare possunt: nec acutior securis ad
exscindendas has radices, quam tam profun-
das in anima egit, adhiberi potest, quâm
opera pœnitentiaæ, macerationis carnis, &
ultroneæ castigationes, sive mortificationes;
sic nos docet ipsum Concilium Tridenti-
num Sess. 14. cap. 8. quamdiu hoc lolium,
pravus habitus frustillum adhuc radicis in
anima habet, & non stirpitùs ac radicitùs
evulsus est, semper adhuc habes, cur ti-
meas, ne in antiqua traharis, & relabaris
mala, ne pessimæ huic arbori, tantum fron-
datæ actionsæ, ut olim Samsoni, succrescant
prioræ, vel novi capilli.

Tandem, quia etiam radicitus extirpato
malo habitu remanet adhuc nostra natura
corrupta, quæ cùm adhuc justitia originali
dotata esset, tamen peccârit in Adamo,
merito timenda est, ne nos in varia præ-
cipitet peccata, postquam rebellis concu-
piscentia rationis jugum excussit, & hujus
imperio se subtraxit: & hæc fuit causa, ob
quam, plurimi ex Sanctorum, & Innocen-
tium Choro, qui DEUM nullâ unquam
graviore noxâ læserunt, sicut S. Joannes
Baptista, lilio innocentiaæ armaverint, &
sepiverint tot spinis, sive asperitatibus & ri-
goribus pœnitentiaæ.

En

En quot, & quām graves causæ te pœnitentem urgeant ad exercenda opera pœnitentiaz etiam externa corporis & carnis afflictiva, semper veram sanctitatem comitari solita.

II. Austeritatum tuarum quantitas tam secundūm intensionem, quām secundūm extensionem commensurari debet quantitatī peccatorum à te commissorum: quām magna deliquimus, tam granditer desteamus: sic statuit & docet D. Cyprianus Episcopus. Pœnitentia est certum genus justitiaz, quæ nos obligat ad solvenda debita per peccatum apud DEUM contracta, & quamvis non sit justitia rigorosa, exigens æqualitatem inter acceptum, & datum, requirit tamen proportionem aliquam inter culpam, & pœnam.

Sed quæres, quomodo constituta esse debeat hæc proportio tam quoad intensionem, quām quoad extensionem, & duracionem pœnitentiaz? hujus intensionem tibi explicat Apostolus ad Rom. c. 6. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ: sicut exhibuisti membra vestra servire immunditiae, & iniurianti, ad iniquitatem, ita nunc exhibete membra vestra servire justitiae ad sanctificationem.*

Profitetur Apostolus, se tecum non rigore, sed suavitate, & humanitate usurum, fragilitati tuæ parcendō. Jure posset exigi, ut longè majori fervore imposterum DEO ser-

servires, quām dæmoni priùs serviisti: sed contentus est, si eodem fervore, amore, & affectu quo priùs mundum, sensum, hujus illecebras, voluptates cæcè deperibas, ames Christum JElum, justitiam, & pœnitentiam. Hoc jam ante Paulum promulga-verat Propheta Evangelicus Isaias c. 31. *convertimini, sicut in profundum recesseris.*

Hoc præstítit D. Magdalena tam servens & imperterrita in agenda publicè pœnitentia, etiam inter convivia, quām libera & effrons priùs fuerat in dandis publicè scandalis, mira sagacitate ipsa instrumenta malitiæ, crines, oculos, lachrymas, oscula, pretiosa unguenta in holocaustum fermentis pœnitentiaz convertens, & immolans.

Si hac declaratione convenientis proportionis inter pœnam, & culpam nondum contentus, accuratiorem desideras, ad antiquos redi Canones, per quos certis delictis certæ pœnæ statuebantur; eosque consule, ubi invenies, pro quovis peccato gravi, sive mortali, pro pœna proportionata & competente à sacro judice septem annos rigidæ pœnitentiaz suisse dictatos: toto hoc tempore rigorosè jejunandum, aspero cilicio cingendum corpus, nudis pedibus incedendum, & ab omni voluptate, quantumvis aliàs licitâ, abstinentium erat. Quo magis crescebat gravitas peccati, cò magis

magis crescebat pariter gravitas, & rigor
pœnæ; quod tibi, utpote in sacris Ca-
nonibus optimè versato, ignotum non
erit.

Ex his facile est concludere, pœnitenti-
am, quam ages, nunquam fore aut nimis
rigidam, aut nimis diuturnam, sed semper
inferiorem debito, quod divinæ justitiæ
libris per tua peccata inscripsisti, nisi for-
tassis tibi persuadere velis, nostris tempo-
ribus peccatum non amplius tam grave &
tanti ponderis esse, ut olim; vel DEUM
nunc illud minus abhorre; ad astra viam
nunc latiorem, leniorem & faciliorem;
cœli portam prius angustam, nunc bipaten-
tibus valvis omnes admittere, aut Eccle-
siam tunc errâsse, quamvis à Spiritu sancto
duceretur, & regeretur, cui nunc ad evi-
tanda majora mala, & incommoda videre-
tur consultius, priore rigore supersedere, &
humanæ fragilitati aliquid connivere.

2. Duratio autem pœnitentia se usque
ad vitæ limites, & finem extendit, ut ita
defectum intensionis suppleat extensio. S.
Gregorius homil. 3. in Evang. pœnitentiam
æquiparat Martyrio, quod solâ morte ab-
solvitur: D. Thomas approbans hanc com-
parisonem, subjungit: pœnitentia dicitur
martyrium propter quamdam similitudinem
afflictionis, quæ excedit Martyrii afflic-
tionem diuturnitate, sed exceditur ab hoc
intensione. Suppl. 3. p. q. 96. art. 6.

Hoc

Hoc observarunt omnes, & cujuscunque conditionis homines, quotquot seriam egerunt pœnitentiam. Pœnitentia Adami in lege naturæ se ultra nongentos annos extendit; quamvis DEUS de obtenta peccati sui remissione ipsum reddidisset securum. David in lege scripta, quamvis ex ore Prophetæ Nathan audivisset, peccatum suum translatum, & ablatum fuisse, illud tamen ex memoria, & considerationis oculis nunquam demisit; *peccatum meum contra me est semper.* Ps. 50. deflebat illud diu noctuque, cinere aspergebat cibos, & his aromatibus conditos manducabat, potum cum fletu miscebat. S. Maria Magdalena in lege nova, quamvis ex ore ipsiusmet redemptoris audivisset: *remittuntur tibi peccata tua. vade in pace.* Luc. 7. nunquam cum corpore suo pacem, imò ne quidem inducias initit, & quadraginta annis eremi, vel potius suæ specus incola, ab omni humano commercio separata, ut priùs incontinentia, ita postmodum veræ ac serice pœnitentia magistra, & vivum exemplar facta est.

III. Qualitatem pœnitentia tuæ duplicit generis esse oportet. Prima, quam tibi sponte dictas, & imponis; altera, quam aliunde impositam tolerare, & patienter ferre debes. Prima sub se tres alias species complectitur, eleemosynam, jejunium, & orationem. Peccando donasti dæmoni bona fortunæ, corporis, & animæ; per pœnitentiam

tiam sacrificia jam D E O bona fortunæ largiendo eleemosynas ; bona corporis , jejunando ; bona animæ , orando .

Jejunii nomine comprehenduntur omnes austерitates , & macerationes , quibus caro castigatur , & domatur : *homo pœnitens est homo sibi irascens.* August. Serm. 35. de or. Dom. omnis homo , qui seriam pœnitentiam agere constituit , in seipsum , & illam sui partem , quæ rebellis se rationis domino subtraxit , implacabili odio exardescat , necesse est ; unde corpus suum flagellis , ciliis , inediâ , jejuniis ultroneis affligere , & subigere nunquam cessabit .

Qui serio indignatur equo suo sternaci , qui ipsum jam saepius ex ephippio in lutum excusset , non dulci popysmate , vel leniter palpando demulcet , sed virgâ , scuticâ , fuste castigat , subditis calcaribus usque ad sanguinem sodicat , & in eum , ne ad indolem & genium suum redeat , justo furore deævit .

Si eousque vires tuæ se non extendant , mitiori odio , levioribus pœnis jumentum corporis tui , ne recalcitret , castiga , & cohibe ; indicito ipsi abstinentiam à cibis delicatis , gulæ potius , quam fami satiandæ paratis ; sacras excursiones & peregrinaciones ad pia loca pedibus conficiendas ; intermitte tantisper etiam licitas recreaciones , cum te saepius illicita perpetrâsse probè no-

veris ,

veris, & delicias, lusus, venationes, & alia curiositati, non necessitati delervientia.

Eleemosynæ nomine comprehenduntur omnia opera misericordiæ. Si tantum animi non habes, ut flagellis sanguinem ex pertusis venis proliicias, ex manibus tuis eleemosynas, argentum, aurum, id est, secundum sanguinem liberaliter in manus pauperum effundito. DEUS suâ misericordiâ tuas sublevabit miserias, si tu liberalitate, & pietate tua noveris sublevare suas in pauperibus, suis vicariis, miserias: peccata tua eleemosynis redime. Dan. c. 4.

Si tua propria egestas ab his præstandis te arceat, supersunt alia, quæ facile præstes, misericordiæ opera, & obsequia; visita infirmos, solare, hortare illos; nihil magis proprium, & conveniens Sacerdotibus, quam hoc officium Christianæ charitatis.

Gradum facito ad exercenda opera misericordiæ spiritualia statui tuo Sacerdotali vel maxime convenientia, ac propria. Docemone aliquos, & conare in aliis impedire errores illos quos in teipso impedire vel nescivisti, vel noluisti.

Nomen orationis complebitur orationem tam vocalem, quam mentalem: tam hæc quam illa peragi non potest sine aliquo incommodo & molestia; colligendus, & serio applicandus est animus, restringendisensus, situs corporis modestus, reverens, tanta majesta.

majestate, quam supplices adoramus, dignus,
& omnem submissionem spirans, non modice corpus, & libertatem membrorum conarctat, praesertim si haec omnia flexis genibus in, vel sine scabello, peragantur, nullo fulcro fessum & recline corpus sustentando. Nunquam hoc thus tam gratum DEO sine myrrha offerendum, & adolendum.

2. Exercetur poenitentia exterior etiam per aequanimem, & generalam tolerantiam adversitatum, & calamitatum hujus vita, & nostræ tot miseriis subjectæ naturæ, quæ evitari non possunt; sive jam proveniant ex causis necessariis, ut calores, frigora, pluviae, grandines, tempestates, infortunia, morbi, pestes, amicorum & propinquorum inexpectatae mortis, immo mors propria, si à nobis acceptetur, ut divinæ justitiae ad hanc nos condemnanti satisfiat: sive proveniant ex causis liberis; tales sunt ingratitudines, contemptus, subsannationes, contumeliae, lites, calumniæ, injustitiae:

Has calamitates omnibus communes cura, ut toleres non communis modo, sed speciali magnanimitate, & patientia; cavo, ne debita, quæ hoc modo facile posses expungere, per tuam impatientiam, reluctanceam, & hinc ortam tristitiam stultè augeas. Magna est indulgentia & clemencia DEI creditoris nostri, in solutionem ingentium debitorum, quibus ipsi obstricti

F

vivi-

vivimus miseri debitores, admittentis etiam
eiusmodi viles, non selectas sed exigui po-
tiūs ponderis ac valoris monetas.

Consideratio nona.

Pro V. die prima.

De obligationibus generalibus Viro Ecclesiastico considerato ut Ecclesiastico pro- priis.

QUIVIS Ecclesiasticus, consideratus ut
Ecclesiasticus, ad hæc tria mentem
semper reflectere debet. 1. ad suum
statum Ecclesiasticum, cui se consecravit.
2. ad DEUM, qui ipsum ad tam subli-
mem statum evexit. 3. ad Ecclesiam cui
à DEO in hoc statu datus est ad sacra ob-
sequia.

I. Status Ecclesiasticus requirit, ut nemo
hunc amplectatur, nisi sit vocatus à DEO,
& nemo in hoc perseveret ex alio fine, quam
ut serviat DEO. Nullus in mundo inve-
nitur vitæ Christianæ status, sive Ecclesia-
sticus, sive Religiosus, sive conjugalis,
quem amplecti debemus, nisi ad illum vo-
cemur

cemur à DEO; qui cœco impetu in hoc tam magni momenti negotio fertur, periculum incurrit, ne seipsum privet præcipuo, vel unico medio consequendæ salutis, & propriæ prædestinationis. Hinc summâ prudentiâ, & adhibitô sapientum consilio, electionis, & deliberationis negotium instituendum, & pertractandum est, ne erres.

Qui DEI nutu & impulsu certum vitæ genus amplectitur, jure sibi promittere potest in omnibus opem, directionem, & protectionem divinam, non aliter, quam Archistrategus à suo Rege missus ad expugnandam aliquam urbem, in dubium trahere non potest, quin ipsi à suo Rege omnia ad obtinendum hunc finem necessaria suppeditanda sint. Hæc si vera sunt, uti sunt verissima, de omni statu Christianæ vitæ, longè ve-riora sunt de statu Ecclesiastico.

Functiones omnes huic statui propriæ, sunt sacræ ac divinæ, unde majori indigent auxilio, & ope DEI ut ritè & decenter peragantur; hanc sperare non potest, qui à Deo non vocatus, se tamen in statum, & dignitatem Ecclesiasticam intrudit, nequicquam reluctante DEO, & repugnante ipsa natu-rà, quæ ipsum talentis, ac dotibus ad hunc statum necessariis destituit.

Verùm non solùm ad functiones sacras ritè peragendas Ecclesiasticus indiget speciali DEI auxilio, & protectione, sed longè ma-

gìs ad alias clericali statui annexas obligatio-
nes, mille prævaricandi periculis obseptas, de-
bitè, & ex integro adimplendas. Sicut
sol radiis suis attingit, & transcurrit putri-
das paludes, fœtentia simeta, sordidas sen-
tinas & cloacas, ab omnibus maculis & sor-
dibus ipse immunis, ita Ecclesiastico in im-
mundo hoc mundo, in hac vasta innu-
merorum, turpissimorum scelerum sordida
terræ cloaca sic ambulandum, & conver-
sandum est, ut nullis maculis aspergatur,
nullis sordibus inquinetur: instar trium pue-
rorum Babiloniorum Ecclesiastico in medio
flammarum, cupidatum exardescerentium in
fornace ultra modum succensâ hujus mun-
di, qui totus in malo igne positus est, ita
vivendum, ut ne capillus unicus aduratur,
& ne quidem odor hujus sulphurei ignis ia-
eo sit.

Tam miram, & singularem DEI opem
qua ratione sperare poterunt illi Ecclesiasti-
ci, qui à DEO non vocati, sed potius re-
probati, sacrilegis manibus thuribulum, non
quia sacrum, sed quia argenteum temere
arripuerunt, se in Ecclesiam intruserunt,
cum sacerdotali ueste tot onera suis debili-
bus, & ad ista ferenda longè imparibus
humeris imposuerunt, solâ ditescendi, ad
dignitates Ecclesiasticas eluctandi spe stimu-
lati, & attracti? Et hæc causa fuit, quæ
Apostolum impulit, ut tam sollicitè nos
admoneret, ne quis fortuitò, cœcō im-

petu

petu vel alio sinistro ex fine irruat, & invokeret in honores Leviticos, sive Ecclesiasticos, sed hos unicè admittat, quia ad hos à DEO vocatus est instar Aaronis ad Hebr. c. 3. *Nec quisquam sumit sibi honorem, sed qui vocatur, tanquam Aaron.*

Notum tibi erit ex sacris paginis, quomodo Aaron ad Sacerdotium fuerit electus. Sola virga Aaronis permixta aliis aliarum tribuum virgis, intra breve unius diei spatium non solum flores, sed etiam fructus protulerat. Si coram oculis DEI positus sentias in anima, in corde tuo nasci piorum desideriorum flores erga hunc statum, qui promittant, & subinde prorumpant in dulces, & uberes fructus operum, Ecclesiastico statui convenientium, tutò credere potes, te à DEO vocatum, & non amore cœco ductum, ad aras accessisse.

2. Si jam in hoc gradu fixus stares, & hunc non aliò animo concendiſſes, quam ut commodiorem, à sæculari potestate exemptam vitam ducere, natales tuos fors obscuros illustrare, stivæ, mechanicis, & illiberalibus laboribus manus subtrahere, te tuosque ex pinguisbus Ecclesiasticorum beneficiorum fructibus ditare, & impinguare posses; paucis: si venisſes, & intrassis in Bethaniam sicut judæi: non propter Christum, sed ut Lazarum viderent. Ioan. c. 12. corrigendus est error, & curva intentio inflectenda,

*F 3. prior

prior per dolorem serium revocanda, illa-
que melior, & defæcator substitu-
enda.

Perpende & observa, ex prava intentio-
ne sinistri finis, tanquam ex fonte
turbido, in omnes actiones, & functiones
sui statūs profluere varias fæces, vario-
que defectus. Interim tuis desideriis hunc
unicum præfige scopum, ut DEO in domo
sua unice servire, & solo DEO contentus
vivere possis, semper memor moniti Am-
brosiani in Psal. 118. *Verus altaris Minister
DEO, non sibi natus est.*

Ipsum nomen *Glericus*, quod sortem &
hæreditatem significat, te admonet, nihil
aliud, nullum aliud emolumentum tibi
quærendum, vel spectandum quam Deum
solum, ejus honorem, beneplacitum cul-
tum & obsequium, hoc enim tibi prædi-
ctum & prælectum est, quando Sacris Or-
dinibus initiari, & DEO consecrari cœpi-
sti: *Dominus pars hæreditatis meæ: hunc in finem*
tibi præcisi fuerunt capilli capitis tui, teste
S. Augustino L. de vanit. Sæc. c. 4. ut sem-
per memineris, cogitationes terrenas & superfluas
à mente resecandas.

II. Si mentem ad DEUM vertas, te pro-
legato à DEO in hunc mundum, ad ho-
mines missum agnoscere debes; curæ igitur
habebis, ut tuo officio exactè & ritè fun-
garis,

garis: ut tuō Domino te mittendi sis honori & solatio.

1. Es enim vero legatus, & internuncius à DEO missus ad homines, dispensator mysteriorum divinorum, organum sui spiritū, instrumentum fuerum manuum, Vicarius & substitutus à Christo, ut prosequaris, & operā junctâ promoveas ac perficias in Christo, cum Christo, & propter Christum grande Redemptionis humani generis negotium.

Legatus principis in sua legatione ad eundem, quem princeps intendit, collimet finem necesse est, alias si alium, sibi utilē spectaret finem, infidelis minister, & proditor foret, suo ministerio & charactere indignus: tibi igitur qui minister Christi es, incumbit, ut eadem cum Christo tuo Domino sentias, eadem cum ipso queras, iisdem, quibus ipse utitur, fundamentis, dogmatibus, & regulis te quoque dirigas, & constanter nitaris, ejus in omnibus æmuleris mores, & modum procedendi, & agendi cum hominibus, ejus vestigiis pressū insistendo, & nihil, nisi ex ipsius instruōne, & directione suscipiendo, aut gerendo.

Christus JESUS à suo divino Patre in mundum missus, quamvis infinitâ sapientiâ, & potentia præditus esset, nihil loquebatur, nihil operabatur, nisi quod à Patre audiverat & intellexerat, nec juxta aliam, quam à

Patre sibi præscriptam normam: à me ipso facio nihil, sed sicut docuit me Pater, sic loqui Joan. c. 8. Quantò magis hanc tu regulam sequi, hanc normam tenere, & ab hac nec latum unguem discedere debes, qui tam fragilis, mille infirmitatibus, ignorantias, & erroribus circumdatus, & subiectus es?

2. Ita te vivere, & gerere convenit, ut DEO probro, & pudori non sit, talem mississe legatum, & constituisse ministrum: cura te ipsum exhibere DEO operarium inconfessibilem. 2. Tim. c. 2. Quicunque te audiverit loquentem, vel observaverit conversantem & operantem, habeat occasionem & causam glorificandi, & laudandi illum, qui te misit; nullam verò vel à longè habeat ansam sumendi scandalum ex vita & moribus ullius ministri vel legati à DEO missi; non vituperetur ministerium nostrum. 2. Cor. c. 6.

III. Si respicias Ecclesiam, cui te Deus dedit, & addixit, ita comparatus esse debes, ut ejus nocumenta, & detrimenta summo tibi sint dolori, emolumenta vero, & incrementa summo tibi sint gaudio, & solatio.

I. Omne præjudicium, vel detrimentum, quod Ecclesia sponsa Christi patitur, te non levius affligere debet, quam vulnus, cor tuum penetrans, & ipsam animam dividens, sive hoc patiatur ab inimicis, sive ipsi infe-

interatur ab internis, & à propriis filiis, qui
suis pravis moribus, & degeneri vivendi
modo matrem infamant, & prostituunt:
sentire, & dicere debes cum Propheta re-
gio: *defectio tenuit me pro peccatoribus aerelin-
quentibus legem tuam Psal. 118.* vel cum Apo-
stolo 2. ad Cor. c. 11. *quis infirmatur, & ego
non infirmor? quis scandalizatur, & ego non uror?*
Viribus omnibus admittendum eit, ut scan-
dala, præsertim publica tollantur, inordi-
natè ambulantes, & errantes in viam regi-
am salutis, & semitam justitiae reducantur.

2. Sæpius cogitare, & excogitare oportet modos, & opportuna media, quibus
indies magis majestatem, & splendorem
Ecclesiæ promoveas, & cultum, quem
ipsa DEO exhibit, novis incrementis au-
geas. Probare, laudare, & oblervare oportet
omnia, quæ ab Ecclesia mandantur &
approbantur in cæremoniis, ritibus sacris,
rubricis, Canonibus, in consuetis proces-
sionibus, in omnibus sacris, sacerdota-
libus, & parochialibus functionibus.

Talem te erga Ecclesiam juxta modulum
tuum exhibere conaberis, qualem se erga
illam exhibuit Christus ipse, qui pro Eccle-
siæ sponsæ suæ dilectissimæ emolumento,
honore, & incremento, laboravit, sudavit,
& alfit; qui illam infinito pretio suorum me-
ritorum ditavit, qui illi donavit sanguinem
suum omnem usque ad ultimam guttulam,
& ipsam suam vitam divinam.

Tria tibi ut Mediatori inter Deum & populum præcipue observanda erunt. 1. ut cum DEO in oratione loquaris pro populo: 2. ut cum populo loquaris pro DEO, & de DEO, in concionibus, instructionibus rudium, & parvulorum, in Catechesibus; 3. ut nulli parcas labori, sed omnem conatum indefessè adhibeas ad lucrandum & conciliandum DEO populum, & populo DEUM, sedulam operam impendendo volutandis & lexitandis sacris pagina, vitis & Scriptis sanctorum Patrum, & Ecclesiæ doctorum, in lustrandis Conciliorum œcumenicis, horum decretis & statutis: in perlegenda, & repetenda Theologia, & doctrina morali & Christiana, tibimet ipsi prius, deinde aliis altè imprimendo Evangelica Christi dogmata, Documenta æternasque veritates, solida extruendæ perfectionis Christianæ turri substernendo fundamenta.



Con-

Consideratio decima.

Pro V. die secunda.

De tribus obligationibus **Canonicis** prohibitoriis, Viro Ecclesiastico præscriptis.

Brevitati consulturus quædam exercitia,
& occupationes quasdam Clericis ve-
titas ad tres sequentes reduco. 1. est
mercatura. 2. venatio. 3. certæ exercitatio-
nes, inutiles, & vanæ, suo genio indul-
gentibus, otiosis hominibus propriæ.

I. Mercimonia Clero prohibita illi exer-
cent, qui aliquid emunt, ut eadem sine no-
va mutatione, aut melioratione, auctiore,
quam emerint pretio divendant, & lucrum
faciant. Hæc commercia pluribus in locis
prohibent, & proscribunt sacri Canones.
Concilium Nicænum jubet Clericum ne-
gotiatorem sua dignitate exui, & gradu de-
jici: dejiciatur à Clero, & alienus habeatur ab
Ecclesiastico gradu. cap. 17. Alexander III. hanc
pœnam statutam non solum approbat, sed
etiam auget adjecta excommunicatione:
sub intermissione anathematis prohibemus ne Clerico
causa lucri negotientur. c. 2. ne Clerici. Clemens

V.

V. de censib. & exactio[n] & Honor. III. c. ex litteris
de vit. & honest. Cler. privat Clericum negotia-
torem omnibus privilegiis immunitatis Ec-
clesiasticæ, eumque tributis, vectigalibus,
& potestati sacerdotali subjicit.

Sed unde tantus rigor? ex multipli-
causa. 1. Quia Clericis non convenit alia
negotiatio, quam in qua agitur de virtutum,
& animarum lucro, non vero de accumu-
landis divitiis & thesauris. 2. Quia nego-
tiatio est exposita plurimis peccatorum pe-
riculis, & occasionibus fraudum, menda-
ciorum, injusticiarum, deceptionum, per-
juriorum, oppressionum pauperum. 3.
Quia summè dedecet Clericum inordinatus
& nimius affectus erga pecuniam, & bona
terrena, cui in ipsa statim prima capillorum
tonsuræ proponitur, & imprimatur, ab ipso
solum DEUM pro parte hereditatis suæ, &
nihil de temporalibus bonis, aut divitiis ex-
pectandum esse. Scito, Clericum avarum,
esse impium, & iniquum erga DEUM,
erga proximum, & erga seipsum.

1. Contra DEUM, quia DEO non
se sinit satiari, sed ex sua pecunia sibi fin-
git idolum, & sibi quodammodo fundit
vitulum aureum: *avaritia, quod est idolorum
servitus.* Eph. c. 5. Hinc oritur sordida illa
& turpis negligentia, qua sinunt sacram Ec-
clesiæ supellecilem Sacerdotibus sacrificia-
turis, & ipsis sacrificiis necessariam destrui,
lacerari, & conspurcari; altaria debito or-
natu

natu destitui, & nuda prostitui, altis pulveribus obseri tempa ipsa, sacella, & altaria collabi, tantum ut expensis parcere, & professe aliquid, quo crumenam suam farciant, comparcere possint; turpis defectus, quem jam Concilium Toletanum quartum Canone 33. notavit & improbavit: *labentium Basilicarum ruine non reparantur, quia Sacerdotali avaritiâ omnia auferuntur.*

2. Erga proximum, tum quia sollicitudo cumulandi pecuniam Clerico adimit sollicitudinem & curam invigilandi saluti animarum, & procurandi commoda spiritualia suarum ovicularum; tum quia superfluos, & non solum honestam ac congruam pro suo statu, sed etiam abundantem sustentationem superantes proventus, uti obstringeretur, in pauperes non distribuit, licet ejusmodi redditus Ecclesiastici à SS. PP. vocentur patrimonia pauperum; tum quia plura cumulatim in se unum congregando beneficia, subtrahit aliis bene meritis præmium suæ virtuti, & præstitis obsequiis debitum.

3. Quia statûs Ecclesiastici dignitatem deprimit, prostituit, & contemptui exponit, dum vel mechanicas artes exercet, vel agricolam, & rusticum agit, stivæ quam altari, & cathedræ aptior, de saginandis & divedendis bobus, quam de suis oviculis custodiendis, instruendis, & verbo DEI palcedis sollicitior, alias ditiorum dominorum, vel mercatorum domos, & tabernas lustrando,

se

se in eorum mercimonia insinuat. & inge-
rit; nuncinas & mercatus frequentat, ven-
diturus & empturus, ita ut Ecclesia, cui præ-
fetus est, à tali negotiatore Clerico om-
nium vilipensioni exposita, meritò cum
Propheta Jeremias lamentari, & in has vo-
ces erumpere possit: *lapides sanctuarii disper-
sunt in capite omnium platearum.* Thren. 4.

Origo omnium istarum turpitudinum, &
iniquitatum est falsa aliqua pietas erga suos
nepotes & consanguineos. Extirpet Deus
de tuo corde hunc cœcum & inordinatum
erga tuos affectum; poteris equidem hos,
si pauperes sunt, tuis elemosynis juvare
præ aliis, & largius ipsorum, quam alio-
rum necessitatibus succurrere, sed vilibus
tuum statum dedecentibus mediis, quinti-
bi ab Ecclesia prohibitis artibus & modis
corraderet, vel ex superfluis ecclesiasticis re-
ditibus cumulare pecunias, ut consanguinei
minime pro conditione sui statū egentes, di-
rescant, ad nobiliorem & altiorem vitæ con-
ditionem emergant, nec decet, nec licet.

II. Venatio solennis & clamosa cum ap-
paratu & strepitu venatorio, equorum, ca-
num, falconum, concursu hominum,
prohibetur Clericis sub poena suspensionis
infligendæ *Can. Episcopum de Cler. Venat.* Ne
gestent arma, ipsis interdicitur sub poena
excommunicationis ferendæ *Can. Clerici arma-
de vita & honest. Cler.* Hæc prohibitio sæpius
hinc

hinc inde repetita, ab ipso Concilio Tridentino confirmata, & renovata fuit Sess. 24.
c. 12. de Reform.

Non tamen prohibetur venatio moderata, honesta & modesta, ad relaxandum animum in propriis sylvis, & campis instituta, nec gestatio armorum ad sui defensionem in itinere, vel quando per loca periculosa, latronibus infesta transeundum est.

Ratio, ob quam venatio Clericis interdicitur, est quod Clerici solum animarum, & non ferarum Venatores esse debeant, & absolum sit, eos inter venatoria cornua cum canibus incondite clamare, & latrare, qui destinantur ad decantandas alternatim divinas laudes publicè in choro, vel privatim cum Angelis, Deus, cuius obsequio addicti estis, est DEUS pacis, strepitus & tumultus omnes aversans; hinc Christus inter suos discipulos admisit quidem pescatores, gentem artis sue exercitiis in silentio fungentem, nullum verò venatorem clamosum.

Eandem ob causam interdicitur gestatio & usus armorum; nam haec sunt instrumenta discordiarum, contentionum, litium, bellorum, homicidiorum, & cædium, utique Clericalem mansuetudinem dedecentia. Vita Clerici est quidem perpetua militia, sed militia pia & sacra, in qua arma quoque oportet esse pia, & sacra; scutum erit fides, cas-

sis spes; armatura pectoris, charitas, & justitia; verbum DEI gladius biceps & penetrans usque ad intima cordis & anima. His armis vincuntur, & fugantur hostes animæ invisibles, quibus bellum indixit, quis quis Clericalem statum & habitum assumpsit.

Sæcularium oculis ingratum objectum, & spectaculum est Clericus equo vel curru vectus, sclopis, & variis generis armis stipatus, urbem ingrediens, vel egrediens igniariam fistulam humeris portans, potius militis efferati, ac Martis pulli, quam mansueti, & modesti Clerici ac Christi discipuli ritu.

Nec Christi exemplum, & mandatum in tui defensionem proponas velim, imperantis suis discipulis, arma conquererent, & se gladio succingerent. Sic Lucæ 22. qui non habet, vendat tunicam suam, & emat gladium. S. Basili, & Theophylacti judicio non mandatum, sed prædictio eorum, quæ secutura erant, hoc dictum Christi erat: stylus enim, & Phrasis usitata sacræ Scripturæ est, Prophetias enuntiare modo imperativo, sic Propheta regius ait Ps. 108. Fiant filii ejus orphani. Neque hoc continet ullum mandatum vel præceptum, ut ait Beda, Euthymius, & Chrysostomus, sed mera prædictio & permissio, quemadmodum etiam Clericis permisum est arma comparare, & gestare, ad sui & vitæ suæ tutelam, ubi pericula imminent, prout id exigere videbatur à discipulis

pulis imminens Christi Magistri sui captivitas & mors.

Doctissimus Maldonatus hunc armorum apparatus à discipulis factum nec prædictionem, nec permissionem Christi fuisse ait, sed puram significationem, ut nempe indicaretur, eò jam deventum esse, ut si rem humanâ prudentiâ metiri vellemus, & juxta hanc humanis mediis ad avertendam imminentem, & proximam perniciem, utendum esset, non alia jam superessent, quibus hæc depelleretur, quam arma; verum nec his opus esse, cum tempus patiendi & moriendi à Patre præfixum jam adesset, sic enim ibidem mox subjungitur: *quod scriptum est, oportet impleri in me;* & *cum iniquis depunatus est.*

III. Varie occupationes frivole, vanæ & inutiles Clericis interdicuntur hinc inde in sacris Canonibus: prohibiciones has ratihabet & renovat Concilium Tridentinum; hoc ita loquitur Sess. 24. c. 12. de Reform. Chorœis, tabernis, & lusibus abstineant. Itaque abstinendum Clericis erit

I. à Saltationibus, à conventiculis præsertim nocturnis, à spectaculis & theatris profanis, immodestis. Quis non advertit, quam absurdum & absolum sit, manè videre ad aram divinis operantem inter Angelorum choros, quem noctu videras fœminarum gregi permixtum, comicorum scurrilibus jocis, effæminatis gestibus, molli-

G. būs,

bus, & impudicis amoribus ad vivum re-
præsentatis, applaudere & effusis cachinnis
arridere, vel etiam in publico foro mimis
circumforaneis, & ardelionibus medium in-
ter vilem plebem assistere, eorumque ludis
& nugis procacibus, & propudosis, fel-
cenninis & obscœnis jocis approbationem
addere etiam solâ præsentia.

Sub gravibus, pœnis arbitrariis S. Pius
V. in quadam Bulla vetuit, ne Clerici propha-
num ullum spectaculi genus egerent, vel spectarent.
Bonifacius VIII. sub pœna privationis om-
nium privilegiorum Clericis competentium
ipso facto incurriendâ, in libro sexto De-
cretalium, qui per integrum annum mi-
num, vel ardelionem egisset, & professus
fuisse.

2. Vitanda sunt publica hospitia, &
versoria, compotationes, ac convivia, ubi
plerumque temperantia & innocentia nau-
fragium patitur. Ex vitio gulæ, si S. Petro
Chrysologo credimus, multa & grandia in
Clericalem statum redundant detrimenta,
probra ac præjudicia; ex hac radice nasci-
tur inepta letitia, scurrilitas, immunditia, multi-
loquium, hebetudo mentis. Serm. c. 12. Harum
individua pedissequa est libido, teste Philone
ita loquente: *libido pedissequa est saturitatis. de*
Agricult.

In libro Levitici c. 10. prohibitum erat
bibere vinum Sacerdotibus illo tempore,
quo sacris fungendum ministeriis, & sacri-
ficis.

ficandum erat: & inter Sacerdotes Christi
sunt inveniendi, qui studeant epotandis cali-
cibus, alios ad hæc Bacchi ceramina provo-
cent, victores vinipotentes plausibus excipi-
ant, hederâ coronent: cuivis ex his strenuis mi-
litibus Seneca Epist. 83. hoc epinicium ac-
cinit: *cum viceris, vinceris à dolio.*

3. Abstinendum erit à lusibus, quos sola
regit fortuna, sive casus fortuitus, ut & lu-
sus alearum, chartarum, legibus tam Cano-
nicis, quam civilibus olim, & antiquius
abrogatus, subin per desuetudinem istarum
legum revocatus, sed à Concilio Tridentino
hæc prohibiti renovata, legum ista-
rum vigor redintegratus est, & Episcopis
demandatum, ut harum observationi seriò
invigilent.

Viciosus ille & inordinatus amor, sive
pruritus inveteratus ludendi, in te lusorem
ipsum, furorem suum vel maximè effun-
det, nam aliud lucrum vix referes, quam
ut perdas pecunias, tempus, facultates om-
nes, intellectum, honorem, bonum nomen,
existimationem, conscientiam, corpus, & ani-
mam: fies erga proximum tuum injustus,
ut ipsum circumvenias fraudibus, irretias
dolis, astutiis, mendaciis, deceptionibus,
violentiis, & oppressionibus; mutabit te
in hominem impium, & contemptorem
superum, ut vituperes, execreris cultum
divinum; festos & divino cultui dedicatos

G. 2. dies

dies, Missæ Sacrificium, pensum diurnum
Canonicarum precum, ut os tuum ponas
 cœlum, & non raro in horrendas blasphemias prorumpas.

Consideratio undecima.

Pro VI. die prima.

De obligationibus Viro Ecclesiastico impositis, & præscriptis, extiorem modestiam & decentiam concernentibus.

Exterior corporis cultus, qui primus in sæcularium oculos incurrit, ut decens & conveniens sit, Clericis sacri Canonones serio præscribunt, & inculcant titulus de vita & honestate Clericorum. Concilium Tridentinum agens de decentia exteriori Clericorum, mentem suam his verbis explicat: *sic decet Clericos in sortem Domini vocato vitam morisque suos componere, ut habitu, sermone, gestu, incessu, aliisque omnibus rebus, nihil grave, moderatum, & religione plenum praefrant.* Sess. 22. c. 1. de Reform. Juxta hanc Concilii doctrinam & normam tria pen-

pendenda, & examinanda erunt, 1. qui^s sit, & esse debeat vēstitus Clerici. 2. qui^s loquendi modus, & quales ejus sermones. 3. qualis in omnibus aliis exterioribus rebus moderatio, & decentia.

I. Vēstes induere oportet Clericales, non sacerdtales, non militares, non sagum, sed togam, decentes, ritē compositas, non levitatem, non vanitatem, spirantes.

I. Cultum corporis clericalem à sacerdali potissimum distinguit toga, sive vestis longior, & capillus brevior; vitio, & probro verteretur illi, qui certum vitæ genus professus, erubesceret vestem gestare suo statui propriam. Quid? an te Clerice, forsitan pudebit publicè portare insignia Christi Domini tui supremi? verum quidem est, quod habitus non faciat monachum, nihilominus offendiculo, quin & scandalo tibi esset, si cerneret monachos vel Religiosos passim sine habitu suæ conditioni proprio circumcursare: an aliud expectandum à secularibus Clericum passim sine vestibus Clerico propriis comparere videntibus.

Culpæ Clericus ille expers non est, qui sacris non licet majoribus ordinibus initiatus, vestem non gerit statui, & gradui suo competentem, nec gaudet privilegio sori, & Canonis juxta statutum Concilii Tridentini Sess. 23. c. 6. Si vero jam ad maiores promotus, gauderet Beneficio, vel alia pensione Ecclesiastica, & in seculari semper ha-

bitu incederet, graviter peccaret, & præter amissum privilegium fori suspendendus esset tam ab ordinibus, quam Ecclesiasticis preventibus: quod si correctus non se emendet, ipso beneficio exuendus, & privandus erit. Ita decernit illud ipsum Concilium Sess. 14. c. 6. & desumit doctissimus Sanchezius l. 7. Consil. c. 1. Dub. 49.

Audi, quid Cajetanus dicat de Clericis prolixos capillos nutrientibus, si ad sacrum tribunal pœnitentiae animam expiaturi accedant: Remittendi sunt Ecclesiastici comati ad tonsorem, & deinde audiendi. In summa, verbo interrog. confess. Gregorius nonus summus Pontifex fulmina anathematum vibrat in Clericos comatos: *siquis Clericus relaxaverit comam, anathema sit, cap. si quis, de vita & honest. Cleric.* Præcipua pars & necessaria Clericalis habitus & cultus externi consistit in tonsura crinum, altera pars minus principalis, & quasi appendix prioris, est vestis longior, ad demissior juxta communem loci, vel regionis, in qua vivitur, usum & morem.

2. Utrique huic debito satisfiet, si tonsura silvam densorum crinum aures obumbrantium removeat, & vestis sit talaris. Ita exigit summus Pontifex Martinus: *Attonso capite, parentibus auribus, & secundum Aarone talarem vestem oportet induere, ut sint in habitu ornato. c. non liceat. dist. 24.* Denotatur hic vestis illa, quam DEUS confici jussit à Moysè pro Aarone

Aarone Sacerdote, quæ esse debebat *deorsum ad pedes* Exod. 28. Non parum dedecet Sacerdotem, accedere ad aram ad tremendum sacrificium DEO offerendum in veste brevissima, & decurtata plateas obambulare in veste lurida, olida, lacera, è pluribus centonibus consuta. Nec sufficit obtendere paupertatem, cùm interim non desint pecuniae ad lusum, ad compotationes, vel etiam ad usus pejores.

3. à veste clericali, ut sit decens, & convenientis, abesse oportet omnem fastum, pompam & vanitatem sœcularem; absint proin fimbriæ argenteæ & aureæ, absit color nimium vivax, nimium à nigredine recedens, absint phaleræ, ligulæ, ornatulæque omnis sœmineam mollitiem sapiens; absint odorifera balsama, smigmata, pulveres cyprii, florum fasciculi, & quidquid cincinnatum, delicatum, videri ac amari cipientem Adonidem potius, quam DEO devotum, & consecratum Clericum decet. Dotes, quæ Clerico æstimationem, hororem, & pretium apud omnes conciliare possunt sunt doctrina, prudentia, morum integritas, innocens vitæ tenor, & aliæ virtutes Christianæ, non aliæ sœculares, & mundanæ vanitatum vanitates, & rugæ, quibus delectantur, & gloriantur.

II. Quod linguam & sermones Clericorum attinet, perpendendum erit, quibus de rebus loqui, & de quibus silere oporteat;

hi omnes instituendi essent vel de doctrina, & scientiis, vel de virtutibus, pietate, & morum probitate: sic legimus apud Prophetam Malachiam c. 2. *Labia sacerdotis iustodient scientiam, & legem requirent ex ore ejus.*

Cavendum tamen, si de rebus Theologicis sermo sit, ne mox aliquid, quod prius non exactè perpendisti, & penetrasti, quasi ex tripode, vel cathedra decidas, & contrariam tibi sententiam virgâ censoriâ notes; nam facile in hac materia errari, & peccari potest, etiam contra justitiam, & contrahi obligatio faciendi restitutionem, id est, canendi palinodiam, & revocandi id, quod incautè & temerè effutiisti, & inculcandi aliis, qui te audierunt, doctrinam & sententiam tuæ erroneæ contrariam è diametro. Ut sine periculo errandi in Theologicis materiis sermones, vel discursus movere possis, bene te in his fundatum, & versatum esse convenit.

Pauciores & leviores scopulos, in quos lingua tua impingat, numerabis, ubi de materia morum loquendum fuerit, Auditores tuos impellendo ad bonum, & retrahendo à malo; si etiam ad particularia descendas, res notas, & obvias aliis explices, & rudibus inculces; tunc enim verò de DEO, & proximo bene mereberis, & de te quoque illud fuisse dictum credi poterit:

qui

qui erudiunt ad justitiam, fulgebunt, sicut stellæ.

Dan. c. 12.

Cordi habeas, & curæ teneram, & ruden-
dem ætatem primis summèque necessariis
Christianæ fidei principiis imbuere, igno-
rantes docere, dubios consiliō dirigere,
errantes, corriger, & ad salutis semitam
reducere, juvenibus prima fundamenta, &
rudimenta linguae latinæ & Grammatices
explicare, ut deinde gradum facere possint
ad altiora studia legis tam humanæ, quam
divinæ.

2. Diligenter tibi cavendum erit à certis
verbis, in quæ non raro prorumpunt etiam
Clerici. Hæc dividi possunt in tres classes. In
prima classe poni possunt verba vana &
inutilia. In secunda, verba damnosa. In
tertia, verba scandalosa. Abstine proin,
& cave, ne te ipsum laudes, te & tua ex-
tollas, & jaētes, ne falsos plerumque, &
inutiles rumusculos veneris, fabellis anili-
bus, & nescio quibus novitatibus curiosità-
tem tuam, & aliorum sine omni utilitate
frivole pascere studeas: ne illiberalibus,
crassis, & scurrilibus jocis tuos commeno-
sales, compotatores, vel socienos excitare,
& exhilarare coneris, memor illius effati à D.
Bernardo prolati l. 2, de Confid. consecrati os
ruum Evangelio, talibus aperire illicitum, assuescere
sacrilegum. Fœde ad cachinos moveris, fœdius
moves.

G 5n Dein

Dein cave tuas conversationes, & collo-
cutiones condire velis alios traducendō,
saltis jocis impetendo, risui & ludibrio ex-
ponendo, quod graviter repugnat charitati
proximi; cùm secum trahat gravem con-
temptum illius. Cave murmurationes,
præterim contra superiores, nam per has
proximus privatur vita civili, quæ inter bo-
ra externa est maximum, & vitæ naturali
non tantum æquiparatur, sed etiam præ-
fertur; nempe famâ, & bono no-
mine.

Abstine tandem à certis verbis inter sa-
culares non infrequentibus, quæ tamen
audientibus offendiculo, & scandalo esse
possunt. Nec tollit ejusmodi verbis, &
argutiis venenum obscœnitatis, si sensu
æquivoco vestiantur, vel acutis festivi in-
genii salibus annumerentur, nam quò acu-
tius est acumen, eò profundiùs penetrat.
Dices quidem, hæc te proferre in medium,
ut apud alios gratiam ineas, quos hac ra-
tione ad hilaritatem excitas: sed hæc gratia
humana, inimica, & contraria est gratiæ di-
vinæ. Quin omnes alii eandem de te op-
inionem, & æstimationem concipere, & ha-
bere debent, quam olim alii habuere de D.
Bernardino Senensi adhuc juvēne, ut nec
verbulum venerem olens, aut minus fudi-
cum ipso præsente proferre auderent, &
hæc erit gratia, & vera gloria tua.

III.

III. In externo corporis habitu omnia
spirent modestam gravitatem & exempla-
tem decentiam i. talis sit incessus, & omnis
gestus: nam ut S. Ambrosius ait l. i. Offic.
c. 18. *Vox quædam est animi, corporis motus.*
Ex signis istis externis judicium fertur de in-
ternis, ex immodestis, & incompositis cor-
poris motibus & gestibus desumitur etiam
animi status. Exiguam tibi æstimationem
conciliabit fastuosus, & saltuatim interrup-
tus incessus, maximè in publicis processio-
nibus, præsertim si pretioso, elegantibus &
artificiosis fimbriis prætextato superpellicio,
stola intertextò aurò argentoque splendens
accedat, & tu effrænes oculos quaquaver-
sus circumrotes, variis inclinationibus &
nutibus salutationes diversi generis homini-
bus dispenses, & inter effusos cachinnos,
ac confabulationes dissolutas, ab iisdem re-
ciprocas recipias. Quam venerationem,
& æstimationem expectes à sæcularibus, si à
te fieri conspiciunt, quæ in seipsis damnant,
& reprobant?

2. Mensam, quam oportet esse frugalem,
de quo nos quotidie in sacro precum Ca-
nonicarum penso admonet Apostolorum
princeps; *fratres, sobrium estote.* i. Petr. c. 5. de-
cet esse conditam piâ, et utili lectione, vel
spirituali colloquio.

3. Domum, sive habitationem oportet
esse remotam ab omni loco alio, variis sus-
picionibus obnoxio; si talis non foret tua

do.

domus & habitatio, vñ tibi à populi nota
dicitate, & omnia carpendi libidine!
Sancti Patres, & sacri Canones vetant Cle-
ricis cohabitationem cum mulieribus, de qui-
bus potest esse suspicio. c. i. de cohabit. Cler. &
c. à Nabis. eod. tit. D. Augustinus ne quidem
sororem suam in eadem secum domo, & sub
codem tecto pati volebat, causam hanc al-
legans: *Etsi propinquæ mulieres suspectæ non essent,*
tamen quæ ad ipsas ventitarent, posse suspicionem
ingerere. In Lect. Breviar. Perlege, & perpen-
de caput nonum Ecclesiastici, invenies in
illo præclarissima monita & documenta in
hac parte.

Consideratio duodecima.

Pro die VI. secunda.

De iis quæ à Viro Ecclesiastico per
sacros Ordines Deo consecrato
circa castitatem observanda
sunt.

CLericum altioribus ordinibus jam initia-
tum, & consecratum meminisse &
perpendere oportet, se voto obstri-
ctum teneri observandi, castitatem, quam
turpe

eturpe sit, hanc violare; & quibus mediis
hæc conservari possit, & debeat.

I. Ex triplici capite obligantur Clerici
in majoribus Ordinibus constituti, servare
castitatem. Primum se extendit etiam ad
Subdiaconos; secundum includit Diaconos,
tertium Sacerdotes. Subdiaconus obstrin-
gitur ad persolvendum pensum diurnum sive
ad horas Canonicas singulis diebus recitan-
das; ad laudes DEO decantandas, in hymnis,
Psalmis & Canticis, in sacro Sacerdotalium
precum Codice contentis. Non enim pos-
sunt esse gratæ laudes DEO, quæ ex fœnente
& immundo corde promanant: *Non est*
speciosa laus in ore peccatoris. Eccl. c. 5. Horæ
Canonicae, quas recitas, sunt quidem ora-
tiones vocales, non tamen sunt purum ex-
ercitium linguae; alias enim non essent ora-
tio, cum non essent elevatio mentis ad
DEUM.

Quomodo autem fieri poterit, ut mentem
serio ad Deum elevet, qui animam, cor
suum demersum & infixum habet in limo
profundi, in turpi obscenitatis abyssu? Deus
minime contentus est cordis tui sed
misse, seu parte; totum cupit, & exigit;
aut nihil; & quomodo hoc totum, & in-
tegrum in decantandis, vel recitandis Psal-
mis DEO offerre poteris, si potiorem cor-
dis & affectuum tuorum partem mundo im-
mundo consecras? Hoc argumentum S.
Ambrosius scribens in 1. Ep. ad Tim. c. 3.

Nocte

Nocte inquit, & die oportet orare (nempe de-
cantando preces Canonicas diurnas, &
nocturnas) mundiores ergo debetis esse ca-
teris.

2. Castitatem limpidam à Diacono exigit
ejus officium, quod ipsum obstringit ad
porrigenda sacra vasa sacerdoti sacrum faci-
enti, & ad prædicandum populo verbum
DEI. Sacra vasa tangenda non sunt spur-
cias & illotis manibus. Immundis nec symbola
tangere fas est. Dionysius de Cœlest. Hie-
rarch. c. 10. Oza arcam, cum calum in-
clinata minaretur, aliquantulum irreveren-
ter tangens, in pœnam suæ temeritatis mox
concidit mortuus. Obscro, cur pœna
tam gravis infligitur delicto, quod vix um-
bram delicti videtur habere? causam expli-
cat Abulensis, & Cornelius à Lapide? Im-
mundus erat Oza, sed immundiciā tantum
legali: legaliter immundus erat, quod præcedente
nocte cognoverat uxorem suam. Tanta mundi-
ties requirebatur in Levitis Synagogæ, qui
tamen erant pura figura, & umbra Diaconi-
orum in Ecclesia Catholica Christi.

De prædicatione Evangelii quid dicen-
dum? his sordibus conspurcatum concio-
natorem non ausurum reprehendere in suis
Auditoribus sæcularibus, quod ipse in seip-
so tolerat, & amat, & à suis auditoribus
palam sciri non ignorat! quomodo mun-
dabit hac scœtida pice inquinatas oviculas
Pastor, qui ipse met eadem pice longè pro-
fun-

fundiū & oculorum tenuis de merito hæret? Si D. Hieronymo teste & judice facta ja-
stura castitatis ac pudicitiae secum trahit ja-
sturam omnium reliquarum virtutum:
amissâ pudicitâ omnis virtus ruit. Lib. I. con-
tra Jovin. necessariò sequitur, impudicum
concionatorem instrumentum esse ineptum
ad prædicandam, & persuadendam ullam
virtutem.

D. Gregorius narrat in su's dialogis. l. 3.
c. 32. strenuo & zeloso concionatori ab
adversariis Ariani, ut se ipsius iectibus sub-
traherent, linguam fuisse excisam, sed
hunc lingua hoc modo privatum, tamen
perrexisse ex cathedra perorare majori quam
prius ardore & efficaciâ, stupentibus om-
nibus ad tam apertum, & quotidianum
miraculum, nec quidquam propugnabat &
inculcabat magis, quam verbum divinum
divino Patri esse consubstantiale, quod
Ariani pertinacissime negabant mira &
prodigiosa hæc elinguis eloquentia mox ip-
sum destituit, quamprimum se carnali ali-
quo crimine contaminavit, deditaante
DEO laudem, magnitudinem, & magni-
ficentiam, quam ab impuro ore deprædi-
cari.

3. à Sacerdotibus vel maximè illibatam
castitatem exigit, Sacerdotale officium con-
secrandi, tractandi, manducandi, & aliis
dispensandi immaculatum Agnum divinum.
Agnum Paschalem in Veteri Testamento,
figuram

figuram nostri Sacrificii, non aliter licebat edere, nisi cingulo constrictis lumbis: *nunc vestros accingetis.* Exod. c. 12. Illis solum licebat vesci panibus propositionis, qui ab omni carnali commercio etant liberi: *mundi sunt, maxime à mulieribus.* 1. Reg. c. 11. Nefas erat symbolicis illis Hebræorum Sacerdotibus ad sacra sua facienda Aris appropinguare, nisi prius per triduum omni se conjugii jure privassent, & prius vestes suas acri lixivio emaculassent. Sic mandatur Exod. c. 19, Si tantâ opus erat munditie tanto nitore puritatis in umbra, quanta requiretur nunc in ipsa luce?

D. Augustinus Sacerdotum manus in lege nova jubet esse similes virgineo virginis matris utero: *in eorum manibus DEI filius velut in utero virginis incarnatur.* in Psalm. 37. Id, quod Sacerdotis officium præcipue curat, est corpus Christi, quod solum vi *venerum*, ut loquuntur Theologi, panis destructi exuviis substernitur: unde nullum delictum Sacerdotali dignitati magis repugnans invenietur, quam quod dignitatem corporis Christi dehonestat; itaque in Sacerdote non vitia iræ, superbiz invidia, quæ mentem maculant, sed vitia carnis, quæ corpus inquinant, majoris notæ, & præ aliis summe detestanda sunt: *qui formicatur, peccat in corpus.* 1. Cor. c. 6.

II. Qui facris ordinibus consecratus, juratas castitatem leges violat, injurius est in DEUM, in proximum, in seipsum, & in totum statum Sacerdotalem.

I. DEO injuriam infert per peccata sua carnalia, non omnibus hujusmodi vetitis spuriis, à quocunque tandem homine perpetratis communem; sed ob violatam concepti voti religionem, specialem, & sacrilegam; paucis hoc explicat Salvianus ad Ecclesiast. *criminosior est ejus impudicitia, qui promisit castitatem.*

2. In proximum iniurius est, dum ipsi offendiculo, & scandalo est, nam lapsus virorum magnarum auctoritatis & dignitatis, multos alios secum in ruinam trahunt: quis non moveatur ad peccandum, cum viderit ipsos doctores pietatis peccantes. Chrysost. L. 3. de Sacerd.

3. In seipsum iniurius est, dum se in vilissimi & turpisimi peccati fœtentibus sordes abjicit & demergit. Suis coloribus pudorem hoc peccati genus depingit princeps Apostolorum Petrus Epistola secunda c. 2. ita scribens: *caris reversus ad vomitum, & sus leta in volutabro luti.*

4. Summè iniurius est in totum statum Sacerdotalem, quem ejusmodi fœditatibus conspurcat; hinc oritur, quod nonnullorum ejusmodi inunctorum hircorum abominandis sordibus inquinatus totus Sacerdotalis ordo, quem SS. PP. ipsis regibus in

H. terris,

terris, & Angelis in cœlo prætereabant, omnibus passim contemptui, & ludibrio sit, cuius sublimitas rāmen nullis poterit comparationibus adæquari. Ambrosius de dignit. Sacerd.

C. 2.

III. Tres tibi demonstro vias, quibus impuritatis vitium facile vites, & castimoniz candorem conserves illimem, & illæsum. Prima est fuga occasionum. Secunda stricta sensuum custodia, & petulcæ carnis seria cohibitio. Tertia frequens & fervens per orationem recursus ad DEUM.

1. Commune adagium est: *oceas facit furem*, & quidem non tantum auri, sed etiam gemmæ omni auro preciosioris, castitatis. Hic in fuga salus & victoria; qui nimium suis præfidit viribus, succumbit. Mundus, in quo vivendum, & ambulandum, his sericis, & teetis laqueis plenus est; periculosiores jam nunc tibi detego. Fuge librorum obscenorum lectionem, maxime eorum, qui sub ingeniosarum phrasium phaleris quasi in poculo aureo fatale veneris toxicum propinant; cave vero animæ tuæ inseras corrupta ejusmodi semina, ex quibus nonnisi putridi nascantur frustus.

Nec dicas velim, duriorem esse animi tui agrum, quam ut levia ejusmodi veneris semina profundiùs in sinum suum admittantur, & radices agere possint: nam nec alia frugum, plantarum, & arborum semina sta-

tim

tim germinant, sed lentè & sensim; sæpè quando jam exaruisse, & mortua creduntur: semper latent, & hærent aliqua; sufficit unum vel alterum granum, etiam minimum.

Si quæ tamen pretiosa gemma etiam in talium librorum luto, ut quandoque fit, detergeretur, eam extrahere indulget Augustinus *de doctrina Christi*. eâ tamen lege, & cautelâ, ut imitemur Israëlitas, quibus ex Ægypto egressuris licuit expilare domos Ægyptiorum, & ex iis secum auferre vala pretiosa, & quidquid aureum, aut argenteum erat; idola tamen, quamvis pretiosissima, aurea, & argentea essent, ne quidem attin gere licuit.

Optimum tamen & tutissimum foret, illos imitari Christianos, quos recens Christo succenturiaverat Paulus Act. 19. qui con-
vulerunt libros & combusserunt: quamvis horum premium facile ad decem florenorum nostrorum millia ascendisse comparetur. Solidum argumentum est serio in melius mutati animi, flammis absumere omnia iniurias adjumenta, & instrumenta.

Aperiunt tibi argenteos fontes in suis li-bris SS. PP. qui nunquam exarescunt; ex his ergo, si veram scientiam, & sapientiam sitis, limpidas, & illimes aquas ad satietatem bibas; abstine autem à cisternis illis, quæ ti- bi non nisi lutescas, & putridas in vasis fors elegantibus propinant paludes; facile con-

tinget animæ tuæ, quod contigit Jacobi
œvibus, ut ex his turbidis bibendi fontibus,
ejus conceptus & foetus, id est cogitatus,
ob impressas tenaciter phantasiaz, & memo-
tiz turbidas, & impuras imagines, pariter
nascantur turbidi, impuri, & nigris maculis
deturpati.

Cave, fuge consortia mulierum: *Nemo*
diu tutus est, pericula proximus. Cyprianus
Ep. 62. Nec pro scuto prætende œcono-
mæ, vel famulæ domesticæ ætatem prove-
ctam, vel deformitatem; nam si ardens
urit sitis, bibitur etiam ex palude, & sapit
potus alias insipidus. Averte, cohibe ocu-
los ab obtutu periculi pleno immodestarum
imaginum, statuarum, & vel maximè vanè
comptarum, & lascivè ornatarum mulie-
rum. *Averte faciem tuam à muliere compa,*
nam ex hoc concupiscentia quasi ignis exardescit.
Eccl. c. 9. Non ignoras, quām cardo ste-
terit Davidi etiam unicus tantum incautus
aspectus, & quidem in remotius etiam spa-
gium projectus.

2. Non tantum aures, sed omnes corpo-
ris sensus spinis sepire, & intra debitos li-
mites arctè constringere nunquam cessa-
nam lilia inter spinas plerumque nascuntur,
& tutius candorem suum explicant. Te-
 ipsum decipis, si tibi persuades, te posse
vitam ducere mollem, & inter carnis de-
licias, & illecebras, quin vitiis individuis
harum sociis te inquines. Fuge otium, jure
opti-

optimo à Cassiano vocatum, pulvinar diabolus. Ager incultus, & otiosus nihil fructus, sed lolium, & pestiferas producit herbas. Vita hodierni temporis conventicula, & lubricas conversationes, in quibus loquaci, & mordaci linguae nimis latè panduntur ostia, nimis frequentes animi relaxationes, nec nimium indulgeas gulæ, temperantiae memor, nec spontanearum afflictionum immemor, nam sine Baccho & Cetero friget Venus.

3. Ejacularē identidem ad cœlum ardentes precum scintillas, confuge ad orationem, nam DEI donum est continentia. Scivi, quoniam aliter non possem esse continens, nisi DEUS det. Sap. c. 8. Sæpius accurre ad adorandum latentem sub eucharisticis speciebus Deum, & ante hunc prostratus ingemina cum Propheta Ps. 22. parasti in conspectu meo mensam adversus eos, qui tribulant me. Sæpius imò quam sæpissime, ac quotidie temetipsum ad aram pasce hoc cibo, de quo scriptum est Zach. c. 9. *Frumentum electorum, & vinum germinans virgines.* Menti objice pro te passum è cruce pendulum Christum Dominum, divum imitatus Augustinum, qui in Manuali c. 22. ita loquitur: *cum prævenie caro, recordatione vulnerum Domini mei resurge.* Implora, voca in adjutorium virginem Matrem, virginum Reginam, à sacris Litteris myrrham incorruptionis appellatam.

*H 3.

In

In memoriam revoca, perpende quatuor
hominis novissima, aliasque fidei veritates
eternas; sic facilè delebis memoriam terrena-
rum voluptatum.

Consideratio XIII.

Pro die VII. prima.

De onere persolvendi quotidianum
pensum precum Canonicarum
Clericis incumbente.

Pensiculatè examina, & perpende hujus
præcepti debiti, quod tibimet sponte in-
posuisti, persolvendi has preces quotidie,
finem, substantiam, & necessaria ad-
juncta, ut hoc plenè, & ad assem exsol-
vas.

I. **T**riplex causa videtur suisse, ob quam
Clerici in altioribus jam constituti ordini-
bus, præcepto quotidie persolvendi preces
Canonicas obstringuntur. Prima ad De-
um, secunda ad Ecclesiam, tertia ad ipsum
Clericum attinet.

I. Itaque requiritur, ut per has preces
DEUS laudetur, & honoretur, cùm hz
fere

fere nihil aliud contineant, quam laudes, adorationes, gratiarum actiones pro acceptis, ardentes petitiones ad DEUM pro accipiendis innumeris beneficiis, & gratiis; sic Ecclesia hæc nostra militans imitabitur, & æmulabitur Ecclesiam supernam, & triumphantein, in qua tota & unica omnium occupatio est, adorare, laudare, amare exaltare & debitæ gratitudinis officiis DEUM prosequi.

Cùm autem major fidelium pars, variis sæculi hujus negotiis distenta, his Religio- nis, & gratitudinis obsequiis tam frequen- ter vacare prohiberetur, prudentissimè, divino dirigente Spiritu, Ecclesia ita dispo- suit, & statuit, ut alia suorum subditorum & melior pars negotiis & curis sæcularibus exempta, & ad vitam honestè, & status sui conditioni congruè ducendam necessariis proventibus aliunde sustentata, illorum de- fectum suppleret, & communi tam suo, quam aliorum & totius Ecclesiæ ac populi nomine diu noctuque preces & laudes DEO offer- rent, ac jugi canore deprædicarent, in illa sede cœlitum, Ecclesiæ triumphantis, alii Sionis æmuli, omnibus mundi sollicitudini- bus liberi. Et tibi pondus gravissimum, cui vix par sis ferendo, videatur hoc tri- butum religiosum DEO quotidie pendend- dum, quod te tamen Angelis, & cœlitibus parem facit?

2. Cedit hoc in Ecclesiæ commodum. Hæc enim à suis hostibus tam externis quam internis aperte, vel occulte, vel per technas impedita, necesse habet, ut assidue ad implorandum contra hos assultus auxilium per preces ad superos recurrat: sæculares præpediuntur profano um negotiorum mole à totes iterando hoc recursu; hinc oportuit certum genus fidelium feligere, qui nullis ejusmodi cursis impliciti, ejusmodi officia pia in se susciperent, & exactè peragerent; ex horum numero sunt, quod quot sacris altaribus propinquius admoventur & sacris votorum vinculis adstringuntur: & hæc est quasi prætoria phalanx Ecclesiæ, & semper vigil, & excubans custodia corporis, munus quo nobilius excogitari non potest; illo, quo certis provinciis, & regnis tutandis à DEO præficiuntur Angeli vel Archangeli, vix inferius; legati & factiales ab Ecclesia missi & instituti ad pangendam & conservandam pacem DEUM & homines inter. Si etiam solus privatim & in silentio has preces decurras, tamen mediatoris inter DEUM & homines munere fungeris, tuis precibus trisulca justæ vindictæ tela hebetas, & è divini judicis vindice manu extorques omnem extinguestram, ut olim ad Moysis sæpius ardenter repetitas preces: placatus est Dominus, ne faceret malum, quod locutus fuerat adversus populum. Exod. 32.

3. Te ipsum tandem tangit hæc sancta & saluberrima precandi necessitas, ut ita semper magis DEO adstringaris, & uniaris, in qua unione cum DEO consistit solida ac vera sanctitas, & perfectio: illi, cum quo frequenter agis familiariter, aut jam es amicitia junctus, aut jungi quæris: tu unus ex illis es, quos DEUS præ aliis majori dilectione, & familiaritate dignatur, & ad familiare colloquium quotidie sæpius evocat; es ex illis, quibus porta, & liber ad DEUM accessus semper patet; es unus ex præcipuis, & primis DEL ministris, quibus summi momenti negotia demandantur, & arcana regni communicantur. Felicem te, o terque quaterque beatum, si fidelibus tuis obsequiis tibi principem tuum novem devincire, ejusque benevolentiam, & amorem lucrari, qui immensis & maximis donis & bonis remunerari solet etiam minima obsequia sibi præstata.

H. Ipsum hoc præceptum penitus inspicendum, & perpendendum est: hoc nobis dilucide proponitur ab Innocentio III. his verbis: strictè præcipimus in virtute sanctæ obedientiae, ut divinum officium nocturnum & diurnum studiosè celebrant & devote. c. dolentes, de celebrat.

Miss.

Duo jubentur hoc præcepto: diligentia, & devotio, sive attentio. Diligentia exigit, ut verba sine sincope pronuntientur integrè, non præcipitentur, non truncentur,

* H 16 aut

aut syllabæ eliduntur, ne Psalmi longioribus & non necessariis moris interrumpantur, & ab invicem dividantur in uno, eodemque precum articulo, sive horâ, multò magis dispescendo ipsum Psalmum in varias partes. Quād incivilis, imò crudus non foret ille, qui ad alloquium principis admissus, hoc interrumpens cum fervorum aliquo vel mediastino confabulari inciperet! cave debitum turbes ordinem, & illa præponas, quæ sunt postponenda; verbô: diligentia partes sunt, ut exactè observes Regulas ab Ecclesia tam accuratè præscriptas in precum istarum recitatione, tum ob communem concordiam, & conformitatem, tum ad conciliandum majus decus huic modo DEUM orandi.

2. Ad devotionem pertinet recta intentione, & indefessa attentio, quamdiu hæ process durant. Necessarius est animus orandi, ut id, quod recitas, oratio fiat, qualis ab Ecclesia præscribitur. Is minimè oraret, nec mandatum impleret, qui Psalmos in horas Canonicas distributos percurreret omnes, eo tantùm animo, ut certum in iis contentum effatum reperiret, & inde excerptum suæ insereret ad populum dicendæ concioni; hoc enim studium, non oratio foret. Quis obsecro, concipiatur intentionem orandi, qui non simul amet orationem? quid quid id tandem sit, in quod mentis meæ collimat intentione, prius & cognitum, & amatum

tum sit necesse est ? adynaton proinde erit
serio velle orare , & nullatenus amare ora-
tionem. Præmitte singulis , in quos Cano-
nicæ preces dividuntur , articulis sive horis
seriam intentionem , quæ identidem reno-
vetur , ut sua virtute singulos Psalmos attin-
gat , in horum recitationem influat , & singu-
la verba novo spiritu animet .

Attentioni sua non desit constantia ,
quippe quæ non solum principium comita-
ri , sed finem pariter claudere , & coronare
debet , exclusis per decursum omnibus men-
tis evagationibus , & ineptis cogitationibus :
poterit autem mens defigi in accurata
verborum pronuntiationem , quæ vocari
solet attentio materialis , vel in verborum
sensem , & significationem ; & erit attentio
formalis ; vel identidem mente revolven-
do DEUM , ubique præsentem , quem allo-
quitur , & adorat ; & hæc dicitur attentio
finalis ; hac ratione DEUS contra nos ne-
quaquam repetere poterit amaram illam que-
relam , quam olim contra Hebræos intonue-
rat : *Populus hic labiis me honorat , cor autem eo-*
rum longè est à me Matth. c. 15. Et quomo-
do DEUS preces tuas exaudiet , quas tu ip-
se non audis ? juxta effatum D. Augustini ,
aures Dei sunt affixæ cordi orantis .

Mentis evagatio voluntaria semper est
conjuncta cum peccato ; quin dicere ausim ,
si mens à precibus avulsa , adhæreat objecto
graviter peccaminoso , ipsam orationem ita
inficit ,

inticit, ut ipsa, & tota oratio fiat ei in peccatum; licet enim aliarum virtutum actus ab illis exerciti, qui gravi peccato sunt infecti, non degenerent in peccatum, ne actus fidei, quo quis credit infernalium pœnarum æternitatem, non fiat & ipse peccatum ob consortium cum peccato mortali creditis, longè aliter tamen se res habet, quando oratio conjungitur cum peccato orantis, tunc enim oratio convertitur tristis metamorphosi in irrisioem & ludibrium DEI, quem illo ipso temporis puncto, quo supplices ipsi porrigit preces, vulnerat, & gravissime offendit. Quis neget derisionem, & gravissimam esse principis contemptum, cui, dum supplicem curvis genibus porrigit libellum, simul sonantes infringit alapam?

III. Quod autem omni ex parte perfectam reddit hujus præcepti adimpletionem, est I. ut tempus præscriptum, quo preces ista recitandæ sunt, observetur; sic preces matutinæ tempore matutino, & sub auroram persolvendæ, nisi hoc debitum maturata solutione jam expunxeris priori vespere; id certè videtur exigere rubricæ, sive regulæ libro Missali præfixæ, ritus in sacrificiis offerendis observandos præscribentes, ut recitatio harum precum matutinarum in cruento huic divino sacrificio præmittatur.

Nec

Nec reliquis horis brevioribus sua de-
funt stata tempora, Vesperi, & pomeri-
diano temporis deputantur preces Vesperti-
næ, ex hoc fonte nomen haurientes. Si
tamen hunc ordinem turbandum necessariis
negotiis intervenientibus prævideas, præ-
stat prævenire, quam præveniri, juxta vul-
gare axioma: *ante tempus diligentia, in tempore
obedientia, post tempus negligentia.* Præposte-
rum utique fore, primas preces tunc in-
choare, & DEUM rogare, ut præsentis
diei cursus ejus ope & gratia feliciter, sine
ejus offensa effluat, postquam jam efflu-
xit, & nigris concubæ noctis tenebris
omnis lux solis extincta, & contumulata
est.

2. Locus, in quo orandum, sic semo-
tus ab iis omnibus, quæ mentem orantis
distrahere, & aliò divertere possunt; ubi
in sonoros risus, cachinnos, ridiculos jocos,
clamores erumpit. Plurimum à debita
DEO reverentia deflectit ille, qui perit ad
alloquium admitti à DEO in publicis com-
pitis, foris, tabernis, vel profanis, & vanis
conventiculis.

3. Situs orantis pariter decens, & reve-
rens esto: non te scabello precatorio, vel
scamno instar sacci insternito; longè mi-
nus in lectum projicito. Certe nulli, ne di-
cam principi, sed nec alii honesto & gravi
Viro ita loquereris. Si preces tuas geni-
bus flexis persolvere non posses, saltem hæc
flecte,

flecte, ubi jubent regulæ: toto corporis habitu, & gestu exhibeas reverentiam Domino, cui loqueris, competentem.

4. Primus & præcipuus precum istarum scopus sit cultus DEI latreuticus; unde hi semper præmittes præscriptam oratiunculam illam: *Aperi Domine os meum Ec.* Huic scopo præcipuo adjunge varios alios, omnes pios, ex variis virtutum classibus petitos; sic pensum tuum persolvere poteris, ut præcepto satisfacias: & ita exercebis actum obedientiæ; si has preces effundas coram DEO, ut pœnam peccatis tuis debitam expies; & erit actus virtutis pœnitentiae; ut opem cœlestem acceras tam militanti, quam purganti Ecclesiæ, & erit actus pietatis, sive charitatis erga proximum; ut impetrès tibi met à DEO auxilium, quo adjutus felicitatem consequaris æternam: & erit actus spei.

5. Coronidem huic penso Ecclesiastico impones gratias agendo pro speciali favore, quod te DEUS in numerum Sanctorum suorum admittere dignatus sit, qui ejus celebrant, & decantant laudes, supra, & infra sidera: veniam; tibique ignosci demissè petes à DEO admissas in hac sacra functione negligentias, & mentis evagationes; hunc in finem singulari cum attenzione subjunges notam illam oratiunculam: *Sanctissime, & individue Trinitati Ec.* cui Leo decimus sacras indulgentias annexuit.

Con-

Consideratio XIV.

Pro die VII. secunda.

De officio Ecclesiastici in Sacerdotem consecrati.

Sacerdotis officium requirit, ut sæpius, si non semper ac quotidie incruentum ad aras Sacrificium DEO offerat, ad certum finem, præmissâ ad illud debitâ animi præparatione: ut hæc omnia ritè præstentur, observandum 1. tempus 2. finis, sive scopus. 3. status, & dispositio ipsius mystæ.

I. Fuit nonnemo ex antiquioribus Theologis hujus opinionis, Sacerdotes nullo alio titulo adstrictos, nullo unquam tempore vitæ suæ obligari ad offerendum DEO Missæ Sacrificium; rectius tamen sentire videtur S. Thomas P. 3. q. 82. art. 10. & cum ipso communiter Theologi reliqui Doctores, afferentes, Sacerdotes etiam eos, quibus nulla animarum cura incumbit, vel aliud officium demandatum est, obstringi ad Sacrificium sæpius per annum DEO offerendum, saltem præcipuis festis, quibus ipsi seculares ad sacram Synaxin accedere solent: hinc l. 2. Mach. c. 4. acriter incre-

pan-

stantur Sacerdotes illi, qui neglectis aris, & Sacrificiis suam curabant cuticulam, & prius invigilabant commodis. Alii cum & Thoma censem obligacionem frequentia iendi ad aram, nasci ex ipsa natura & charactere officii Sacerdotalis, atque adeo ex lege naturali, cum ideo quis in Sacerdotem fuerit inunctus, ut oblatis Sacrificiis DEUM debito cultu afficiat, & placare mitatur. Otiari, & dormire in Sacerdote nulla habente, vel desiderante jurisdictionem, potest etiam diu potestas absolvendi a peccatis, quae cedit in bonum proximi; potestas autem sacrificandi præcipue, vel unicè respicit cultum divinum, qui saepius etiam publicè DEO exhibendus est ab iis, qui ad hoc destinati & constituti sunt.

Alii necessitatem saepius DEO Sacrificium offerendi, oriri putant ex lege divina; sic enim Christus loquitur Lucæ 21. *hoc facite in meam commemorationem.* Nec te ab hac Dei lege eximes, quiscunque Sacerdotum es, si dixeris, hoc non esse præceptum, sed numerum consilium, vel si etiam inter præcepta divina hoc numerandum sit, non stringere quemlibet Sacerdotem singillatim, sed totam Ecclesiam universim; nam hoc effugium videtur à Concilio Tridentino intercludi, sic enim ad allegata apud Lucam c. 21. verba loquitur Sess. 22. c. 1. *Apostolis,* corumque in Sacerdotio successoribus, ut offerrent, præcipit. Alii hanc Sacrificandi necessitatem deri-

derivant ex jure Canonico, ubi in cap. Dolentes de celebratione Missarum Innocentius tertius, suspensionis poena mulctat Sacerdotes illos, qui quatuor tantum vicibus per anni decursum DEO incruentum ad aras Sacrificium immolant. Hinc Concilium Tridentinum Episcopos invigilare jubet Sacerdotibus sibi subditis, ut ad aram faciant saltem solennioribus Dominicis & festis, & subjungit: *ut suo muneri satisfaciane.* Sess. 23. c. 14. Hoc ultimum si non solùm Sacerdotes, quibus animarum cura gerenda, comprehendat, sed etiam ad alios quoscunque Sacerdotes se extendat, Concilium clare indigit, necessitatem saepius sacrificandi incumbere ex ipso officio, ex natura sacerdotii, atque ex hac necessariò fluere & derivari in ipsos.

His Præceptis novum robur addit scandalum ex tam supina sacrificandi negligētia oriturum, quod necessariò impedendum, vel tollendum est: exiguum de illo Sacerdote estimationem præsentim plebs concipit, quem rarissimè, vel nunquam ad aras facientem conspicit, cum tamen & propriæ famæ, & totius Sacerdotalis statûs honori prospicere teneatur. Non tamen exigitur, ut quotidianus Mystra Agnum immaculatum DEO immoles, laudandum equidem summopere, & laudendum hoc esset, nam, ut ven. Beda loquitur, sine urgente, & legitima causa divinum hoc

Sacrificium omittens, DEUM privat cultu omnium gratissimo, cœlites gaudio, purgantes animas subsidio, Ecclesiam auxilio, seipsum novo merito, contra mala & adversa omnia scuto, ac remedio præsentissimo. D. Andreas Apostolus, ut omnem spen de frangenda sua constantia præcideret, tyranno palam professus est; *ego omnipotens DEO quotidie immolo agnum immaculatum in altari.* Summis laudibus D. Gregorius Magnus extollit sanctum Cassium Episcopum Narniensem ex eo præcipue capite, quod nullum sibi elabi sineret diem, hoc Sacrificio vacuum.

Suarez D. 79. art. 4. asserit, primis Ecclesiæ temporibus, cum Christi Sanguis adhuc ferveret, in more positum fuisse, ut omnes Christiani promiscuè singulis diebus ad sacram Synaxin accederent, pro testibus luscidentis adducens D. Hieronymum, Basilium, Augustinum, illo ex Actis Apost. c. 2. hausto fundamento potissimum nixos: erant perseverantes in communicatione fractionis panis.

Nec cauleris multitudinem aliorum negotiorum, quibus obrueris; hoc enim foret culpam non diluere, sed augere. In memoriam revoca, quid illis acciderit, qui ad Cœnam magnam invitati comparere detrectârunt, variis hanc suam absentiam excusationibus mitigantes; villam emi, jugeboum emi quinque, &c. hac enim fatali sententia fulminati sunt: *Nemo virorum illorum gustabit canam*

cœnam meam. *Luc. c. 14.* Manca & trivola est illa pariter excusatio, qua prætexis tuam indignitatem, ab ara & Sacrificio tam tremendo te meritò arcentem; nam audi, quid reponat D. Chrysostomus *Hom. 5. in Ep. 1. ad Timotheum:* *Nihil habet amplius, quod in Paschate consummatur mysterium, eò quod continuè celebratur, semper est Pascha:* itaque si hæc tua excusatio alicujus roboris esset, nunquam omnino, ne quidem Paschali tempore sacrificare oporteret.

Subtiliori adhuc velo suam desidiam & tepiditatem tegere conantur illi, qui ex Religiosoribus putant, vel saltem dicunt, ni-mâ frequentiâ sacrificandi minui reverentiam Christo, qui immolatur, debitam, dum parit familiaritatem, familiaritas autem tollit respectum, & parit contemptum: an ergo hac ipsa de causa eliminatam volent frequentiorem visitationem, & adorationem in templis Christi sub Eucharisticis speciebus latentis? sæpiùs interdiu repetita in oratione cum DEO amoris plena colloquia, & familiaria alloquia pariter tollenda forent; quin & preces Canonicae quotidie persolvendæ jussu Ecclesiæ? sed meminisse oportet, cibo hoc Divino sæpiùs, & avidius sumpto famem & orexim non satiari, aut obtundi, nec sitim hoc calice extingui, sed magis augeri, & accendi, cùm semper augeatur & gratia. *Qui edunt me, adhuc esu-*

rient, & qui bibunt me, adhuc sient. Ecclesiasticus 24.

II. Ne à fine, quem in offerendo Sacrificio spectare oportet, aberres, caveto, ne sit lucrum temporale hac via obtinendum: qui hoc vel unicè, vel præcipue quæreret, sus deque verteret omnia, non sine grandi piaculo. dum perverlo ordine divina humanis, sacra profanis, spiritualia temporibus postponeres, & subordinares. Magna perversitas, cum divina mysteria peragunt, non cœlestem panem, sed terrenum quarunt; non honorem DEI, sed quæstum pecunia. S. Bonavent. de Præpar. ad Miss. c. 8. Signum tam perversi animi vix non certum foret, si quis à Sacrificio abstinaret, quando nulla offeratur compensatio, nulla spes lucri vel illius avidissimè invigilaretur occasionibus, ubi pinguior offertur remuneratio, omissis interim iis Sacrificiis, ad quæ offerenda quis vel ex officio, vel ex promissione, & condicto obstringitur. Omnis insuper vanitas aut inanis gloriolæ captatio in oblatione tremendi Sacrificii procul arcenda.

Nulos tibi alios præfigito fines, quam illos vel omnes, vel saltē unum ex iis, ad quos Sacrificia antiquæ legis sibi offerit DEUS imperavit. Horum quatuor erant genera. Primum erat, & vocabatur holocaustum, in quo comburebatur integra, & integrè victima; & etiam publica professio ac contestatio, qua DEUS adorabatur, & agnosce-

noscebatur ut supremus rerum omnium Dominus, vita, necisque plenus arbiter. Secundum vocabatur **Sacrificium propitiatorium**, sive **hostia pro peccato**: in hoc pars victimæ absumebatur flammis, pars altera cedebat in usus Sacerdotis: offerebatur ad peccata delenda, & placandum Deum. Tertium dicebatur **Sacrificium Eucharisticum**, per quod debitæ DEO referabantur gratiae pro beneficiis acceptis. Quartum erat **Sacrificium impetratorium**, nempe DEO ad impetrandas novas gratias oblatum. In his ultimis duobus **Sacrificiorum generibus** pars una tradebatur ignibus, altera Sacerdoti, tertia ipsi offerenti.

Omnia hæc genera **Sacrificiorum antiquæ legis** jam evanida complectitur unum & præstantissimum **Sacrificium novæ legis**, communiter dictum **Sacrificium Missæ**; est etenim **holocaustum latreuticum** DEO dignum; cum hostia, quæ offertur, sit Christus homo Deus: est **Sacrificium propitiatorium**, in quo DEO offertur pro delictis totius mundi litrum non tantum adæquans, sed etiam superans debita nostra. Est **Sacrificium Eucharisticum**, in quo offertur Deo in gratitudinem aliquid, sive antidorum, accepta beneficia adæquans: est **Sacrificium impetratorium**, in quo offertur DEO Christus, & ejus **Sanguis vivus** rogans, & clamans pro nobis, non contra nos. Huc ergo collimet, ad hos fines mentein suam

dirigat Sacerdos sacrificans, nam nullum acceptabilius DEO potest offerri Sacrificium, sive ad exolvendum laudes, sive ad exhibendum gratias, sive ad impetrandum indulgentiam, vel ad gloriam impetrandum, quam corporis, & sanguinis Christi Sacrosanctum mysterium. Laur. justin. Serm. de Corp. Christi.

III. Quod attinet ipsum sacrificantem mystam, ad Aram accedere oportet, innocenti, mundo corde vitae integrum, lotis manibus & moribus: Declina à malo, & fac bonum, Ps. 36. Primum igitur est, ut remotus sis non tantum ab omni malo, sed etiam ab omni umbra mali. Ita Paulus I. ad Thessal. c. 5. ab omni specie mali abstineat vos.

Monstrum, & absonum est, vesperi videre Sacerdotem in conventiculis medium inter mulierculas jocantem, ludentem, tripudiantem, ne dicam lascivientem; manè ad aras sacris operantem; concutere subditos rigidis extorsionibus, pauperibus sanguinem exugere, subinde divino Christi Sanguine labia purpurare; obsecratis jocis os inquinare, & ita inquinatum, ac purulentum sacrato calici, omnis puritatis fonti admoveare: corde nutrire odia, rancores, vindictas, & se pascere immaculati, & mansuetissimi Agni carnibus: vasa sacra, ad sacrificia destinatos calices ad profanos adhibere usus Sacrilegium est, & jam olim in Rege Balthasare à DEO severè punitum: tu vas vivum es, sacris destinatum, & inunctum

Etum usibus, pyxis viva, in qua quotidie reconditur verum & vivum Corpus Christi; cave proin, ne hanc ad profanos, longè minus ad turpes usus detrudas.

Sed satis non est Sacerdoti declinare à malo; altius assurgendum, & ad sublimiorem perfectionis entendendum est gradum. In Levitico identidem repetitur, & inculcatur Sacerdotibus: *Sancti estote, quia ego sanctus sum.* Sola immunitas à peccatis, nisi eminentior accedit virtus & perfectio, necdum reddit sanctum DEI ministrum Sacerdotem. *Sanctum non facit sola mundatio peccatorum, sed eminentia virtutis,* ait Chrysostomus hom. 16. in Ep. ad Hebr. Satis est pro homine sæculari, ut sit à peccatorum maculis depuratus, & justus: Sacerdos insuper sanctus, & præstantibus ornatus sit virtutibus, necesse est.

Princeps in itinere constitutus, etiam vili diversorio, in quo hospitetur, contentus est; dummodo sit mundum, & non sordidum; cum tamen pro stabili & regia sede sibi seligat palatum magnificentissimum, omni cultu exornatissimum. Christus sæcularium corda transeundo quodammodo lustrat, & invicit, contentus etiam viliori habitaculo, & hospitio, dummodo inveniat mundatum, & pœnitentiascopâ purgatum; sed cor Sacerdotis tanquam stabilis sedes, & ædes regia, in qua Christus non hospitatur, sed constanter

moratur, longè majore variarum, & eminentium virtutum splendore illustratum, & charitatis præsertim purpurâ basilicè exornatum oportet resplendere.

Consideratio XV.

Pro die VIII. manè.

**De iis, quæ Sacerdoti sacris operanti
observanda sunt.**

IN tres classes distribui possunt ea omnia, quæ mystæ, ut rite Sacrificium offerat, incumbunt. Ad primam spectant ea, quæ Sacrificio præmitti; ad secundam ea, quæ Sacrificio conjungi; ad tertiam ea, quæ Sacrificio subjungi debent.

Ea, quæ Sacrificium præire debent, nec solum corpus, nec solam animam, sed utramque hanc hominis partem concernunt. Et quidem quod animam, nobiliorem hominis partem attinet, oportet hanc esse ab omnali tem graviore noxa liberam, & nulla Ecclesiastica censura perstrictam. Tam radix non es, ut ignores, te severo ab Ecclesiaz præcepto constringi, ut ipso pœnitentiaz Sacramento labes animæ, si quæ hærent graviores, & turpiores, eluas, nec illotis manibus ad aram accedere, & Sacra tra-

ctare

Etare audeas; vicaria, quamvis omnibus numeris perfecta contritio, tunc tantum sufficit, quando sacer judex, coram quo te accuses, deest, ac ne tunc quidem sine omni appendice; urget enim præceptum, ut quamprimum coram sacro tribunali te reum sistas, ritè absolvendum; dilationem hujus judicii ultra triduum non indulgent Theologi & Doctores, hoc præceptum à Concilio Tridentino latum Sess. 13. cap. 7. explicantes, teste Dominico Viva in propos. 39. ab Alexandro 7. proscriptam commentante.

Tu tamen huic imperatæ, & necessariæ puritati adhuc illimorem sponte adjicere conaberis, cor tuum ab omni etiam minimo & veniali nævo emaculans: tibi dictum puta, quod D. Francisco Seraphico Angelus symbolicè in Crystallina ampulla limpidissimam aquam continentem ostendit, adjiciens, talem vel etiam adhuc defæcationem puritatem Sacerdotis ad aram accendentis animo inesse oportere.

Non modica me capit admiratio, cùm cerno Sacerdotes quotidie per integras hebdomades ad aram facientes, quin unquam conscientiam expient; an forsitan desunt, quas abstergant, leviores maculæ, quas etiam justi quotidie incurront? cur Sacerdos, dum sacris operatur, jubetur extremos digitos affusâ limpida tam sollicitè ablueret, nisi ut moneatur, eâ ipsum tunc cordis mun-

I 5* ditiâ

ditiâ nitere oportere, quæ nec minimâ
maculâ, vel peccati umbrâ obsuscetur.

Doctor Angelicus D. Thomas in opusculo
§8. c. 39. exigit, ut cor sacrificantis Sacer-
dotis simile sit linteo mundissimo, in quo
sub nube panis latens Christi corpus repon-
itur; hoc enim imprimis etiam acri lixiviô,
si opus sit, à contractis sordibus lavatur,
& mundatur; subinde in utramque partem
pressè contorquetur, ut quidquid humoris
non adeò illimis adhuc in plicis hæret, ex-
trudatur, tandem ad limpidissimos solistra-
dios exsiccatur, & inducto candente chaly-
be calcato lævigatur.

Non aliter comparatum esse vult S. Do-
ctor, Sacerdotem sacris operantem, ut
mundissimum **Corpus Christi** dignè tractet,
& recipiat; proin ante omnia amaris pœni-
tentiaë lachrymis lavet, & eluat omnes cor-
dis sordes, & levissimas etiam maculas;
subinde etiam externis pœnitentiaë operi-
bus, ac cruciatibus corpus torqueat; tan-
dem casto calore ardentissimæ charitatis er-
ga DEUM, exsiccat, & extrahat omnem
prorsus fæculentum humorem cujuscunque
desiderii carnalis. Itaque summam, imo
Angelicam puritatem in celebrante mysta
exigit Doctor Angelicus conjunctam ar-
dentissimæ charitati & devotioni.

Quem corpori suo honorem haberi vo-
luerit Christus, satis indicavit, cum illud
non solum in syndone munda involvi, sed
etiam

etiam in sepulchro novo, nulla unquam cadaveris tabe sordidato collocari, insuper variis pretiosis aromatibus condiri voluit. Hæc norma sit Sacerdoti Corpus Christi ad aram tractanti; munda sint omnia, immundum nihil; vani, & prophani procul este, ascendat fumus aromatum variarum virtutum, & sacrarum precum, quæ ut Sacrificio præmittantur, præscribuntur, in odorem suavitatis in conspectu Domini: Recitentur priùs ex penso Canonico, si commode fieri possit, Matutinum, & Laudes; adjungantur quinque Psalmi cum annexis orationibus in hunc finem propositi, vel aliæ preces, & ardentes animi affectus excitentur, quos civis sua dictabit devo-tio, & pia propensio.

Nec memoriâ elabi sinito precatiunculas, dum sacris te vestibus induis, recitari solitas: his quodammodo scintillulis excitandum est integrum purissimi amoris incendium in corde sacrificantis, cùm DEUS in sole posuerit tabernaculum suum Ps. 18. id est, in anima munda, sine macula, & divinæ charitatis flammis succensa. Suscita in corde tuo famem & orexin erga hunc cibum, quam indicabat modus, quo Hebræi jubebantur comedere agnum Paschalem, typum hujus cibi angelici, *comedetis festinanter.* Exod. c. 12. sua tamen mora adjiciatur huic festinationi, & desiderio explendi hanc famem salubrem. *Semper venerare in aliis Sacerdoti-*

dotibus, licet hos multum excedas nobilitate, aetate, dignitate, doctrina, experientia, Sacerdotalem characterem.

2. Quod corpus attinet, non ignoras, noctis medio servandum esse jejunium non solum Ecclesiasticum, sed naturale omnem omnino cibi, vel potus quantumvis levissimi sumptionem excludens, quod Clemens Pontifex *c. tribus gradibus de consecr. dist. 2.* ad duas ultra sumptionem hujus cibi horas prorogandum praeceperat: licet autem huic canoni, teste D. Thoma p. 3. q. 80. art. 8. ad 6. derogatum sit, elucet tamen ex illo, quantum dedebeat Sacerdotem ore, labiis adhuc Christi Sanguine rubentibus in farcimina, in poculenta & esculenta obvia hian-
te gutture involare, & Christum ita tumulare.

Adhuc nitidiorem corporis munditatem in iis, qui huic mensæ angelicæ accumbunt, requirere videntur, & quidem sub peccato veniali S. Hieronymus, S. Augustinus, S. Bonaventura, homines nempe matrimonio junctos, ob hujus nocte precedente legitimum usum, ab hac mensa arcendos, quavis S. Gregorius, D. Thomas cum aliis communiter in hoc nullam obligationem, sed ad summum, si placuerit, abstinere decentiam agnoscant: si tanta mundities corporis, matrimonio junctis ad Synaxis accessuris prescribitur, quanta haec esse debebit in Sacerdote celebraturo? ad hanc munditiei classem spectat manuum toti.

totiusque vultus emaculatio, nitor decens
vestium, maximè sacrarum, & totius supel-
leculis ad Sacrificium, & aram, in qua of-
fertur, pertinentis: tam studiose, & accu-
rate paranda sunt omnia ad excipiendum,
non terrenum, sed cœlestem Regem, & Re-
gum Regem, ac Dominum Dominantium:
opus grande est, neque enim homini præ-
paratur habitatio, sed DEO. I. Paralip.

c. 29.

II. In ipsa Sacrificii oblatione, ut hæc de-
bito ritu peragatur, ea sunt observanda,
quæ tum divinæ, tum Canonicæ præscri-
bunt leges; illæ attendunt, & disponunt
magis ad Sacrificii naturam necessaria, hujus
materiam, formam, intentionem, conse-
crationem sub utraque specie panis, & vini,
& ipsam tandem Sacrificii assumptionem:
ab his aberrare grande, & grave foret
piaculum.

Istæ, quæ libro Missali præfiguntur, &
vulgò ob rubrum, quo exprimuntur, cha-
racterem, *Rubrice* dicuntur, non tam arctè,
sed levius stringunt, jubentque observari
reliquos ritus & ceremonias huc spectantes,
& si quæ alia longior usus, & consuetudo
Ecclesiæ induxit: harum legum, non qui-
dem omnium violatio, vel neglectus sub
gravi offensa DEI prohibetur, sed earum
duntaxat, quæ gravem prohibitionem clare
exprimunt, vel communi doctorum con-
sensu inter leges graviter obligantes nume-
rantur;

rantur; neglectus tamen assiduus cum offendiculo fidelium, divino Sacrificio assistentium, vel contemptus legum, etiam non præceptivam, sed directivam tantummodo, ut loquimur, vim habentium, gravibus noxibus accersendus est.

Tu inter paucos, & illos esse studebis: qui summâ accuratione etiam apices harum legum observant, sive statuant aliquid de loco, ubi, sive de tempore, quando, sive de altari, super quod, sive de sacris vestibus, in quibus sacrificandum est, sive de ministro, qui ad aram facienti inservit, sive de ipso sacrificii, seu Missæ genere, sive de aliis actionibus ac cæremoniis, ad sacrificii decorem & splendorem spectantibus.

Sæpiùs tibi jam fuerit inculcatum, Sacrificium Missæ, ut numeris omnibus sit absolutum, & majestatis plenum, tribus doctibus præditum esse oportere. Prima sit, ut legatur voce sonora, aliquantum elevazione, & perceptibili, excipe, quæ silenti voce jubentur exprimi, non tamen clamorâ, quæ præsentium devotionem, & longè magis aliorum Sacerdotum, eodem tempore & loco sacris operantium turbet, & evenerat.

Secunda sit moderata, & modesta brevitas, quæ tamen non comparetur, ne quidem unius syllabæ omissione aut elisione, nec cæremoniarum solitarum permixtione, aut compenetratione. Omnes similes omissiones

siones sunt graviter prohibitæ, nisi gravitatem minuat, velexcuset inadvertentia, vel ignorantia, vel rei levitas ac parvitas. Hæc condecens brevitas solummodo præcidit omnes longiores tam vocales, quām mentales orationes, morosas & anxias intentiōnum renovationes, repetitiones, quas heteroclita aliquorum devotio ineptè solet adjicere, & ita Sacrificium protrahere cum tædio & nausea præsentium. Nulla tamen ratione hoc tremendum Sacrificium, quasi periculum summum esset in moram, quadrupedante cursu deproperandum, & præcipitandum est, ut volatili, & venatorio aliquorum tepidorum genio obsecundes, etiamsi horum indignatio esset incurrenda, sicut proximi correctio omittenda non est, etiamsi displicitura, modò profutura prævideatur. Nemo prudentum nec nimis prolixitatis nec nimis brevitatis arguere potest Missæ Sacrificium, quod dimidiæ horæ spatium adæquat.

Tertia sit claritas, quæ exigit, ut clare ac distinctè singula verba pronunties, non tam affectatâ quadam, & violentâ horum protrusione; nulli frequentius cespitant, & impingunt, quām qui, quod legunt, non intelligunt, aut linguâ nimis præcipite verba syncopant, truncant, & elidunt: prius itaque quām ad aram accedas præscriptum Missæ genus, & hujus ordo disquiratur, & ritè disponatur, & præproperæ linguae non

non calcar addatur, sed frænum injiciatur.

Quarta sit, fervor ac devotio; hæc imprimis externum corporis habitum celebrantis rite ordinat, ut cum decoro sacras peragat cæremonias, nec, dum populo faciem obvertit, oculis omnes templi totius angulos lustrandi libertatem vagam concedat,

Hanc tamen devotionem externam longè superet interna, necesse est, consistens in exercitio, & actibus variarum virtutum eliciatur actus fidei, dum recitatur credo: spei dum recitatur *Pater noster*; adorationis, cum genua curvantur; humilitatis, cum alta voce intonamus: *Domine non sum dignus, virba comitantes animū.*

Singulis septimanæ diebus singulas ex septem petitionibus orationis dominicæ attribuere posses. Die Dominica ad aram sacrificaturus accedens induere posses personam subditi, se coram suo principe sistentis & petere, ut sanctificetur nomen DEI, & ejus honor ac gloria per totum orbem propagetur, & augeatur; die Lunæ, indutus personam, & affectum Filii erga suum Patrem, & petere, ut tibi hæreditas tua, regnum cœlorum obveniat; die Martis indutus personam, & animum servi erga suum Dominum, & petere ut ejus voluntas fiat, & ab omnibus ad amissim impleatur. Die Mercurii accedes sub scheme, & animo men-

dici

dici erga divitem, & petere potes panem quotidianum. Die jovis insta debitoris ad suum creditorem, & petere ab ipso remissionem multiplicium, & grandium debitorum. Die veneris tanquam cliens ad suum Advocatum, & patronum, & petere defensionem, ac liberationem ab omnibus adversariorum insultibus & tentationibus, die Sabbati tanquam infirmus, & periculose ægrotus ad Medicum, & petere, ut ab omni quocunque tandem malo liberaris.

III. Patrato sacrificio utique non brevius tempus impendes agendis debitibus gratiis, & adorando praesenti Deo - homini, quam impendere solent homines saeculares, qui diutissime in se collecti, intensissimis variarum virtutum, praesertim charitatis actibus eliciendis insudant, sibique conscientiae ducerent, si paulo post, ne dicam statim, se in saeculares curas, & negotia temporalia immergerent. Subjunge pretes ab Ecclesia praescriptas; repende demississimas gratias Christo, quod te ad suam mensam admiserit; pete veniam defectuum omnium a te commissorum: roga instanter, ut intellectum tuum divina sua luce illustret ad cognoscendum, quod verè bonum est; ut voluntatem inflammet, ad hoc amplectendum, & id primo loco, ut vires prædominantis in te passionis, sive affectus indomiti in-

K

frin.

fringat; tandem ut omnibus illis te cumuleret gratiis, donis, & bonis, quibus te potissimum in dñe conspicit: cura ut totum diem pii. & religiosis impendas exercitiū quod etiam sacerdotes solent; vel certe consuetis tuis operibus, & officio vel conditioni statūs tui congruis functionibus quotidiani fervore frequentique mentis ad DEUM elevatione pondus ac premium adde.

Consideratio XVI.

Pro die VIII. secunda.

De iis, ad quæ præstanta sacerdos Ecclesiasticum Beneficium possidens, adstringitur.

Triplex errandi, & non leviter impinguendi via Sacerdoti Beneficium Ecclesiasticum obtinenti aperitur. 1. quando illud querit, & obtinere conatur. 2. quando illud possidet, & ejus fructibus fruuntur. 3. quando illud abdicat, & alteri cedit.

I. Er.

I. Errat, & suo officio deest, qui non intrat in hoc ovile per ostium, qui possessionem talis beneficii non adit viâ, quam SS. Canones præscribunt, sed aliunde ascendit, nam hic *fur est*, & *latro*. Jo. c. 10. Ex horum numero illi sunt omnes, qui illicitis utuntur mediis, ad hujus consecutionem, vel *animo omnia alia*, quam DEI gloriam, & Ecclesiæ emolumenta spestante ad Beneficia ejusmodi grassantur. Te ipsum jam ad tribunal voca, & districtè examina, an non ad unam alteramve partem deflexeris, quando ad Beneficium, quod modò possides, eluctatus es.

I. Impegisti, si varias adhibuisti artes, astus, fallacias, dolos, sollicitationes, vel etiam violentias, importunas, & vix non armatas preces ab aliis pro te ita flagitante interpositas; si prodromis muneribus, vel promissionibus conferentium vota stimulasti vel potius emisti; quales sunt, uti Canones loquuntur, *munus à manu*, *munus à lingua*, *munus ab obsequio*; tunc autem his muneribus certatur, quando fidem tuam eligentibus, vel conferentibus tale Beneficium, obstringis, te vel tuos ejusmodi gratiam memori reposituros mente, compensaturos vel paratâ, certaque pecuniarum summâ, vel intercessionibus, vel obsequiis mutuis non minoris ponderis ac utilitatis; ejusmodi enim reciproci contractus, quales re ipsa sunt, nimis aperte sunt simoniacâ

labe infecti, & nullius valoris, ac robori qui ita intrat in ovile, ita obtinet Beneficium, non intrat per ostium, sed aliunde; unde à Christo vocatur latro, & fur, qui Beneficium rapuerit, & non minus, quam alii fures sibi onus imposuerit rem ablaram restituendi, vel meliori, quo fieri potest modo compensandi fructus ex hoc injuste collectos, iis solùm detractis expensis, quæ in Beneficii emolumentum factæ sunt.

Crediderim paucos inveniri, qui tam sordidò, & simoniacò commerciò Beneficia Ecclesiastica sive vendant, sive emant: sed quam exiguis numerus horum, tam amplius numerus illorum non pastorum, sed mercenariorum est, qui sinistris ducti affectibus, non animarum saluti, sed suis commodis, suis & suorum crumenis consulturi, non DEI, sed suum, suæ familiæ honorem ac gloriam promoturi in insulas & pedem involant, vel Beneficia Ecclesiastica inferioris ordinis, ac simplicia nullo ad DEUM, ad superna, & æterna habito respectu occupant.

2. Explicemus ista paulò enucleatiùs, & clariùs. Scopus, ad quem unicè collimare debent Ecclesiastici, Beneficium quærentes, vel jam obtinentes, gloria DEI, obsequium Ecclesiæ & salus animarum est: huic infinitem erecta & fundata fuerunt à liberalitate, & pietate fidelium ejusmodi Beneficia; licet paucissimi sint; qui, dum ad ista aspi-

aspirant; nullum alium finem curvum, quām hunc rectissimum respiciunt: multi stimulante ambitione illis solum inhiant officiis & beneficiis Ecclesiasticis, ex quibus plurimum splendoris relucet, & largum honoris tributum sperari, vel exigi à subditis potest: alii ad illa præcipue tendunt beneficia, ex quibus pinguiores fructus, & redditus colliguntur; alii unicè querunt, ut sufficientibus proventibus ex suo Beneficio profluentibus, omni cura liberi, commodam, & quietam, vel potius otiosam vitam ducere possint, averruncatis omnibus oneribus, molestiis tolerandis, vel difficultatibus perrumpendis. Hinc rari sunt, qui contenti beneficiorum, quod possident, ad honoratius, pinguius, vel commodius non aspirent, etiam si primum pro honesta, & congrua sustentatione sufficientes suppeditet sumptus.

Non deerunt, qui plura beneficia, etiam inter se pugnantia, & invicem excludentia, conjungere, & nequidquam repugnantibus sacris Canonibus, in unum idemque caput coacervare querent. Nec illa solum beneficia in elenchum beneficiorum inter se pugnantium, & incompatibilium, ut vocant, referes, quae stabilem in certo loco, vel districta sedem, præsentiam, sive residentiam exigunt; his annumeranda veniunt etiam illa beneficia, quorum unumquodque etiam ab altero sejunctum sufficientes,

K. 3. imò

imò abundantes fructus possessori suo sup-
peditat, ut pro conditione sui statūs non
tantùm congruè, sed etiam ample & largè
vivere, ac se sustentare possit: neque dis-
pensationes, etiam Româ impetratæ, ejus-
modi conjunctionem, & coacervationem
sive pluralitatem beneficiorum sanare, &
satis purgare videntur *Azorio p. 2. l. 6. c. 12. q. 7.*
& aliis, nisi necessitas, vel magna Ecclesia
utilitas, aut ornamentum hanc cohone-
stet.

II. Sacerdoti Beneficium jam possidenti
triplicis generis obligationes incumbunt.
1. Deum 2. Ecclesiam 3. Reditus Ecclesia-
sticos concernit.

Prima te obstringit ad persolvendum ex-
ædiurnum precum Canonistarum pensum
quotidie, nam *Beneficium datur propter officium*:
qui deforet huic suæ obligationi, incurre-
ret aliam obligationem sibi fortassis longè
graviorem, restituendi fructus interim per-
ceptos, servata cum omissionibus æquâ pro-
portione, sive deinde hæc obligatio nasca-
tur ex justitia læsa, sive ex præcepto ab Ec-
clesia latè, & in Concilio Lateranensi sub
Leone X. & à S. Piô V. in speciali constitu-
tione confirmato.

Hæc salubris mulcta vehementem addit
stimulum possidentibus Beneficium, ut suo
non desint officio Advocati, vel legati ab
Ecclesia in eum finem constituti, ut omni-
um fidelium vota, & supplices preces Deo
offe.

offerant; præclarissimum sanè munus, quod non oneri, sed honori ducendum est; præstantissima occupatio, inter delicias habenda; huic se impendunt cum gaudio ipsi Angelici spiritus; nostras orationes Angeli quotidie DEO offerunt, ait S. Hilarius in c. 11. Matth. Idipsum agit Christus ipse, quippe Advocatus noster apud Patrem: *Advocatum habemus apud Patrem Iesum Christum.*
1. Joan. c. 2.

Dum tuas fundis preces, linguam, & cor tuum cum lingua, & corde Iesu conjunge, cui longè magis adaptantur psalmi, quos decurris, quam ipsi Davidi, qui hos plerosque concinnavit. Tedium & nauseam in hoc pio exercitio demonstrare, idem est, ac DEO exprobrare, & in faciem objicere, cum DEO agere, & conversari rem esse molestam, ingratam, & oppidò gravem, ita loquitur Tertullianus: *est exprobrare DEO, quod nos oratio fatigaverit.*

2. Ecclesiæ obstringeris, quia te conduxit, ut in vinea Domini indefessè defludes, & hanc excolas; haec tibi liberaliter, & exactè solvit stipendia, ut mansuetoribus, & severioribus disciplinis excultus, & armatus, eam defendas, & tuearis, repulsis, & subactis ejus hostibus, nam si contra eam insurgant, & cruenta moveant bella perduelles hæretici, si ejus sancta dogmata im-

*K 4. pug-

pugnant, & evertere studeant, perniciosa erroibus, venenatis & fallacibus doctrinæ substitutis, quis contra hos stringet gladium verbi divini, quis in aciem prodeat, fraudes deregat, fallacias demonstrat, sophismata solvat, futilem & mendacem eorum doctrinam confutet, & enervet, nisi qui ab ipsa Ecclesia in hunc finem aluntur, & sub Ecclesiæ vexillo auctorati stipendia accipiunt, alia quoque obsequia in templis, & consuetu-
ta ministeria exhibere Ecclesiæ in sacris sun-
tionibus, & solennitatibus adstringuntur,
qui beneficio aliquo fruuntur, præ illis Cleri-
cis, qui nullo ejusmodi vinculo adstringun-
tur,

3. Beneficium cum suis fundis, agris, & emo-
lumentis nunquam considera, tanquam rem
propriam, sed ab Ecclesia, ad quam spectat,
commodatò, & usui datam; unde horum
omnium teneris curam gerere majorem
quam si ad te spectarent, & tu horum pro-
prius dominus fores, & si ejusmodi fun-
dos, & agros destruxisti, vel notabiliter
deteriorasti, damna resarcire & reparare
teneris. Utrum autem fructuum ex his na-
centium, præsertim superfluorum, qui ho-
nestam, & tuo statui competentem suspen-
sationem superant, sias verus Dominus, &
quidem proprietarius, meum non est decidere;
sunt quam plures, qui volunt, beneficiatos
esse meros depositarios & dispensatores re-
ditu-

ditum, tive fructuum superfluorum, cum onere restitutionis, si quid ex his in usus prophanos contra voluntatem fundatorum expendissent,

S. Bernardus ad Henricum scribens, inducit pauperes ita ejulantes, & conquerentes: *nostrum est, quod effunditis, in convivia, in lusus immoderatos, pompam & luxum, in equos, venaticorum canum greges: dum vos luxuriando peritis, nos spoliando perimitis.* Adhuc altius intonat S. Augustinus, putans, eos, quibus patria hæreditas ad sustentationem sufficientia subministrat media, reliquos redditus ex beneficio omnes, tanquam superfluos, & redundantes, debere in pauperes, vel alias pias causas expendere: Epist. 50. ad Bonifac. ita loquitur: *si privatim possidemus, quod nobis sufficiat, non illa nostra sunt, sed pauperum, quorum prourationem quoddammodo gerimus, non proprietatem, quam nobis damnabili usurpatione vendicamus.*

Si hoc non præceptum, tamen consilium est saluberrimum: in hoc communiter convenire videntur doctores, impendere in usus prophanos, vel aliter absumere, & abligutire fructus ex Ecclesiasticis beneficiis provenientes, honestam, officio, statu dignitati, & conditioni competentem sustentationem superantes, si non est violatio justitiae, & quoddam furti, vel rapinæ genus, saltet esse grave delictum contravirutem Religionis, & legem Ecclesiasticam,

K 5.

cum

cum Patres, quos sequitur Concilium Tridentinum Sess. 25. c. 2. fructus ejusmodi superfluos vocent: *Res Dei: Patrimonia pauperum:* hinc talium fructuum prodiga effusio in luxum vestium, ædificiorum, suppellectilis superbæ, ad dotandos & ditanados nepotes, consanguineos, in lusum sapit impietatem, & sacrilegium.

Interim certum est, sustentationem honestam, competentem & congruam, nec nimis arcta, nec nimis larga & laxa mensura dimetiendam, nec nimis levi, nec nimis gravi pondere, sed æquo, & pondere sanctuarii librandam & ponderandam esse: quid obsit, si quandoque aliquid etiam ex illis tibi detrahas, & in arca recondas, quæ in tuos vel profanos usus licetè convertere posses, non avaritiae, vel pecunias accumulandi studio, sed ut liberalius donum Christo in suis pauperibus facere possis.

III. Cum beneficium forte diu possessum dimittis, cave, ne in portu naufragium facias. Nimis apertam committeres simoniam, si pro beneficii renuntiatione pretium aliquod exigeres: Non tamen desunt modi & artes, quibus palliolum consuitur, quo simonia non quidem effugiatur, sed regatur; at si *conventionalis* vitetur *mentalis confidentialis* se insinuabit. Quot fictiones, & simulationes non interveniunt, quando beneficia permutantur, ab iis maximè, qui proprium uni-

cè

cè commodum, & utilitatem, nullatenus
verò Ecclesiæ quærunt! abdicatur quidem,
& in aliud transfertur beneficium, sed non-
nisi reservatâ sibi pensione, qua non indi-
get, atque ita successori relinquitur labor
sine mercede competente, ut alter otiosâ
quiete frui possit. Devolvitur beneficium
à patruo vel avunculo in nepotem, non
tantùm hoc, sed ipso etiam habitu Cleri-
cali indignum, fitque contra severissimas
Canonum prohibitiones in eadem familia
quodammodo hæreditarium, ut illud, quod
David tantopere detestatur, & in aliquibus
hac in re prævaricatoribus reprobat, etiam
ipsi repetere, & dicere videantur, *hæredi-*
tate possideamus sanctuarium DEL Psalm.

82.

Longè aliam viam ingressus est Moy-
ses, qui sibi successorem in regendo populo
Israëlitico subrogavit, non quem caro &
sanguis ipsi revelavit, sed Josue virum stren-
uum, & hoc munere dignum, quamvis
ne quidem ex sua tribu prognatus esset. Si
te fractæ vires, ætas devexa, morbus, vel
alia justa causa impellat ad dimitendum,
vel resignandum beneficium, ita negotium
hoc instituere, & confidere cura, ut qua
porta legitimè intrâsti, eâdem illibatus ex-
eas, omni spe, & intentione captandi lucri
temporalis præcisâ, & Christo immolatâ: in
id unum potissimum curas tuas convertas,

ut

ut talem nomines, & nanciscaris successorem, qui tuos defectus emendare, supplere, & Ecclesiaz, quam relinquis, majori emolumento, & ornamento esse possit, & velit.

Consideratio XVII.

Pro die IX. prima.

De iis, quæ Ecclesiastico sacras confessiones excipienti observatu necessaria sunt.

SAcris animarum arbitris triplici fungendum est munere: judicis, medici, patris. Munus judicis exigit, ut noverint ferre sententiam justam, & æquam de delictis perpetratis; munus Medici ut nōrint arcere, & præservare à morbis animæ imposterum timendis; munus patris, ut filios quantumvis prodigos ad suum non tam tribunal, quam ad sinum ultrò confugientes benignè, & paternè excipient.

I. Hujusmodi itaque sacris judicibus summè necessaria est ea scientia, qua duce in frena sententia de gravissimis in hoc arcano

no

no tribunali proponi, & decidi iolitis, cau-
sis nihil contra justitiae & æquitatis leges
committatur, vel admittatur: *judex*
sapiens judicabit populum suum. Eccl. c. 10.
monitum est Spiritus sancti, nos do-
centis, legitimos judices binis dotibus sapi-
entiâ sive scientiâ, & jurisdictione, ac de-
bitâ potestate instructos esse oportere. Hinc
meritò dubites, an gravius erret sacer ju-
dex, qui necessariâ in hoc tribunali scientiâ
destitutus, crassâ ignorantia laborans, audet
juris omnibus promiscuè dicendi officium
in se suscipere; an potius ille reus, qui datâ
operâ tam ignorantem & imperitum sibi præ
aliis eligit judicem. *Eiusmodi Sacerdoti,*
etiam si nec character sacerdotalis, nec po-
testas jus administrandi, & reos in hoc
foro absolvendi denegari possit, adimi, &
inhiberi, tamen potest hujus jurisdictionis,
ac potestatis exercitium: *quoniam tu scientiam*
repulisti, repellam te, ne sacerdotio fungaris. Os.
c. 4.

Nec satis validum, quo te defendas, scu-
tum est, si dicas: fui à rerum peritis exami-
natus, & approbatus: etenim si revera de-
stitutus es necessariâ scientiâ, & hoc ag-
avit, qui scientiam tuam ad lydium vocavit
lapidem, peccavit haud leviter, te aptum
judicandô ad tam magni momenti officium;
nec minori te obstringis piaculô, si officiô
fungaris, ad quod ineptus es, & sinistre
promotus fuisti. Si dubitabatur de tua ad
hanc

hanc spartam aptitudine, Antistitis tui erat, te ad ejusmodi munus non extollere. priusquam ex magna, & justâ causâ ejusmodi dubium deposuerit; si autem tu ipsemet de teipso hæsitas, ac dubites, an tua scientia ad administrandum ritè hoc sacrum munus sufficiat, ad enodandum, & abstergendum hoc dubium adhibere, & pro norma uti potes antistitis tui, vel aliorum, qui te ad hoc aptum judicârunt iudicio.

Duplex scientia tibi necessaria est, ut ritè officiô sacri iudicis in hoc foro poli fungaris: prima est *scientia juris*, quæ ad varia extenditur; imprimis ad ipsum sacerdotem; ad hunc enim spectat probè nōsse, ad quos reos, ad quæ reorum delicta potestas, & jurisdictio sua se extendat; de reis ulterius nōsse debet, quas his dictare pœnas, quæ præscribere remedia oporteat per pensa delictorum gravitate; morborum qualitate, & delinquentium, atque ægrotorum ad malum proclivitate. Nōsse oportet, quæ partes, quæ conditiones ad hoc spirituale iudicium, ut justè, & legitimè administretur, requirantur. De ipsis delictis ulterius nōsse & scire oportet discernere, instar sacerdotum in lege Mosaica, inter lepram & lepram, quænam sint gravia, & lethifera, quænam sint levia, & venialia, ad minimum inter illa, quæ communiter solent occurtere, nam omnes quorumcunque delictorum diversitates, differentias, circumstantias ab invi-

cem

tem dispescere, & dignoscere abstrusam
habet cognitionem, quam raro etiam apud
doctissimos quosque invenies.

Hinc elucet, quam necessarium sit his sa-
cris judicibus, præterim in arte non satis
adhuc versatis, in scientia morum identi-
dem intellectum excolere, memoriam refri-
care, & sacræ legis apices indefesso stu-
dio scrutari; hanc à te diligentiam tuus
Episcopus, & tu ipsemet ex gere debes;
errat ille, si vilipendere, vel non cordi se
habere ostendat; peccas, & erras etiam tu,
si curam acquirendi, & augendi hanc sci-
entiam deponas & exiguo in pretio ha-
beas.

Altera scientia est scientia magis restricta,
& particularis, vocaturque *scientia facti*. Hac
lucem præferente culpas, de quibus se
Reus pœnitens ipsemet in hoc sacro foro
accusat, probè dignoscere, & exenterare
debés, si quando ille has vel ex ignorantia,
vel ex malitia, & pudore non satis dilucidè
explicat, nec numerum, nec horum natu-
ram sive speciem aut etiam alias notabilio-
res harum circumstantias, ex quibus illarum
reatus vehementer augeri, mutari, & du-
plicari potest, satis exprimit. Tunc enim
verò laborandum est ut veritatem eruas.
Cautè tamen cum illis procedendum est,
qui ex ignorantia delinquunt, ne hac sub-
lata, imposterum peccent ex malitia; cum
his

his verò, qui ita malitiosè peccant, dexterrimè agendum, ut per rimulam, quam aperiunt, ad interiora penetres & tandem bipatente cordis ostio omnes ibi latentes spurcitas detegere, & clare inspicere valeras, imitando Philosophos qui ex notionibus ad ignorantia eruenda, & concludendi procedunt.

Præcipua pars hujus scientiæ est, dignoscere, & exploratum habere interiorem animi statum pœnitentis, ut justam sententiam ferre, eumque absolvere, vel potius condemnare possis ac debeas; maximam in illis dijudicandis invenies difficultatem, qui identidem in antiquum relabuntur lutum, & ad vomitum redeunt, vel qui pronam, & proximam occasionem ad prævaricandum deserere vel nolunt, vel non possunt: cave, ne nimis præcipiti judicio in absolutoriam prorumpas sententiam, nam facile fieri posset, ut reum non absolvias, & vincula non demas; sed haec & illi, & cibimetipsi injicias, & arctius stringas, ut naufragium patiatur, & submergatur in illo gratiarum mari, in quo animi fortes abluere ac salutem animæ tanquam ex vero stagno Siloës haurire parabat.

II. Officium Medici, quod geris, curam duplicitis sanitatis à te exigit: prima est sanitas propria ne & tibi illud Luc. 4. occidi possit: *Medice cura te ipsum*: secunda est sanitas

nitas aliena proximi tui, non uno forsan morbo, sed multiplici laborantis. Tua igitur anima maculæ omnis expers, nullâ peccati labe infesta sit oportet; piaculum grande, & sacrilegum foret, si tu sordidis & illotis manibus Divinam gratiam dispensare, & Christi Domini vices agere, cùm ipsem turpe diaboli mancipium essem, præsumeres.

Huic adjungenda est conservatio hujus sanitatis etiam imposterum, inter varia ejus lœdendæ & amittendæ pericula, ut medius inter pestiferos, hos sanes, tu tamen nunquam pestilente aurâ affleris, nihil luis attrahas, ut puris auribus excipias turpissimas, & enucleatas narrationes, instar radiorum solarium putridas paludes exsicces, scedissimum lutum percurras, in ipsas etiam fœtidissimas cloacas penetres, quin ne minimum quid maculæ vel fœtoris attrahas, inter flamas cum tribus pueris in ejusmodi fornacibus Babylonicas, vel potius Cypriis liberè deambules, & tamen nec capillus minimus aduratur, nec odor hujus sulphurei ignis sit, aut maneat in te.

Secunda sanitas est, cui restituere debes tanquam peritus Medicus ægrotum, qui ad te recurrit, tuam opem & peritiam medicam implorat, dispullo lethali peccato, & revocata animæ vitâ, gratia sanctificante; conservanda tamen, & confirmanda hæc est etiam imposterum, medicinis, ut Medici

loquuntur, & remediis præservativis; præscribendæ, & proponendæ variæ cautelæ, ne in antiquos morbos incidat cum longè majori periculo relabendi, & vitam animæ vel nunquam amplius, vel saltem difficulter recuperabilem amittendi: non adeo difficile est peccatorem à peccatorum lue sanare, ac purgare, longè tamen difficilius est ita sanatum & purgatum constanter deinde salutem & nitidum conservare.

Non alium in finem te DEUS præ innumeris præelegit, quam ut te in negotio omnium maximo, nempe in procuranda animarum salute solum, & cooperatorem haberet; ut Apostolus 1, Cor. c. 3, indicat: *DEI adjutores sumus.* Supina foret negligentia, si postquam ægrotum lingua tua salutiferâ sanasti, hanc deinceps non amplius solveres ad conservandam, & stabiliendam semel impertitam sanitatem, omni rejectâ ulteriore curâ; nec aliud jam ageres, quam ut per sacram absolutionem reatu culpa deleto, quod residuum pœnæ superest, præscriptis & imperatis piis operibus, redimas, & expies: sic officio tuo minimè satisfaceres, nisi ulterius os tuum loqueretur judicium, & paternam correctionem, & admonitionem adderes, seriam, quidem sed suavitate temperatam, instar pii Samaritani, vinum & oleum biantibus adhuc vulneribus infundens. Ita præscribit Innocentius 3. c. omnis utriusque de pœnit. & Remiss.

More

More periti Medici superfundat vinum & oleum vulneribus sauciati - diversis experimentis utendo, ad salvandum ægrotum.

Duo præcipue morbi, aliorum radices, tollendi sunt, ignorantia mentis, & duretia cordis. Imprimis dissipandæ sunt crassæ tenebræ ignorantiae de rebus fidei ad salutem summe, id est, necessitate medii, ut scholæ loquuntur, necessariis, ubi enim hæc ignorantia prius sublata non est, nullus medicinæ sacramentali, quamvis alias efficacissimæ, nimirum sacræ à peccatis absolutioni locus superest; sic decidit Innocentius XI. *Propositionum prohibitarum* 64. Rudis plebeculæ sacras exhomologeses potissimum enervat & reddit invalidas ignorantia de vero ac serio non minus dolore, quam proposito, his necessariò adjungendo. Hanc ignorantiam comitatur apud ejusmodi homines pinguioris minervæ ignorantia de peccatis internis, de culpabilibus omissionibus, de quibus nec judicant, nec curam ullam gerunt, quam solum ad peccata externa crassiora verbis vel factis commissa extendunt: ignorant se obstringi ad extirpandos perversos habitus, malas consuetudines, ad restituendum quod iniquè ablatum est, tam in facultatibus furto, vel fraude, quam in bonis famæ, & honoris detractio[n]e, contumelia, diffamatione; ignorant, sibi incumbere obligationem fugiendi occasionem proximam peccandi, & DEUM gravissime

offendendi. Expedit tamen non raro, delinquentem in sua relinquere ignorantia innocentem, & persuasione bonae fidei; præsertim si ex tua instructione, & admonitione nullum, aut vix illum fructum sperare, & potius id damni timere possis, ne imposterum error, qui ob innocentem ignorantiam innocens erat, hac deposita, nocens & verè culpabilis evadat, id est (sic Scholæ loquuntur) ne ex peccato materiali fiat peccatum formale, turpi utique metamorphosi, & summè noxiâ mutatione; admonitio enim paterna alium spectare scopum non potest, quam habeat Sacramentum ipsum, nempe emendationem admoniti; quis ergo illam prudenter adhibeat pro medicina, si prævideat, eam in toxicum, & exitium vertendam?

Expugnanda est cordis refractarii durities, & adductis potentissimis causis incitandum, nunc ad contritionem, nunc ad attritionem; si necdum cedat, renovandi, & iterandi majore vi salubres ictus. Si curationem ægri suscepitam præcipitare, vel tardio victus hanc abrumpere, manum medicam retrahere, & ægrum suis infirmitatibus relictum omnino destituere volueris, non soluminodò illum, sed insuper temetipsum occidisti. Nec pro scuto ad te defendendum objicias multitudinem ad tuum tribunal, vel potius balneum sacrum confluentium, quibus longiorem, & exactiorem curam

ram impendere non sinunt temporis angustiæ; nam facile retunditur hæc exculpatio, si dicatur, præstare paucos bene & ex radice, quam multos perfundorè, obiter, imò nullum bene curare.

III. Patris, quod geris, officium exigit: ut quotquot veniunt suos tibi errores filiali affectu exposituri, paterno affectu, & in visceribus charitatis benignè excipias. Advertere animum te jubet D. Franciscus Salesius ad dulce Patris nomen, quo te compellare solet ab ipso statim principio lux propriæ accusationis pœnitens reus tuis affusus genibus; monitum te credito, eo amoris paterni affectu & teneritudine cum eo tibi agendum, quo amantissimus Pater cum errante, & agnatum errorem amarissimè deflente filio agere solet, & in typo suavissimæ illius parabolæ de filio prodigo, postliminio tamen priùs in se, deinde etiam ad piissimum suum Patrem reverso, ab ipso Christo nobis ostensum est.

Si verè paternæ pietatis viscera erga ejusmodi filios tuos spirituales indueris, nullò afficeris tædio, si etiam diutiùs sua peccata, etiam ineptè quandoque enarrantes audiendi sint, patientiam docebit, & suadebit paternus amor, & omnem amaritudinem absterget; experimur hoc luculentter in piis matribus, quibus carissimarum prolium suarum gemitus, quin & lachrymosi ejulatus non tædio, sed solatio sunt. Cha-

ritatem hanc ad quadruplicem mensuram, quam Apostolus præscribit, ut genuina sit, se extendere oportet.

1. Necesse est ut sit largissima, amplectendô omnes omnium generum peccatores, nullum excludendô, quantumvis rudem, crudum, aut insima de fœce plebis abjectissimum, nam & horum animæ pretioso divini sanguinis lytro, id est, pari & eodem cum reliquis animabus pretio redemptæ, non inferiore videntur dignæ a more.

2. Sit longa, ad omnem se extendens locum, ad omnes angulos, ad casas vilissimas, ad tuguria, ad carceres, ad xenodochia fœtentia, ad urbes, pagos, domos lucestiferâ infectas: ad omne tempus, tam nocturnum, quam diurnum: non rejiciantur statim cum fastidio & nausea, & cogantur paucis ac compendio non sine indignantis, & stomachantis animi motu, abrumpere, & expedire omnia, diutius loqui, sua sensa explicare, & dirigi cupientes, ne etiam tibi illud objici possit Thren. 3. parvuli perierunt panem, & non erat, qui frangeret eis.

3. Charitas etiam alta & sublimis sit oportet, è cœlo ad proximum descendens, hujus salutem unicè, & in hac majorem Dei spectans, aut quærens gloriam: hunc è terrenis fæcibus & turpissimis sordibus extrahum de stercore erigens pauperem ad cœlestia

Iestia desideria ac studia elevet, doceatque disponere ascensiones in corde suo ad superna, ad æterna, in hac valle lachrymarum, ut eat de virtute in virtutem, donec videatur Deus Deorum in Sion.

4. Charitati nec sua deesse debet profunditas, ut se demittat ad infima, ut illum erigat, qui turpiter cecidit, etiam in profundissimam peccatorum, vel omnino desperationis abyssum demersus est, ut commiserationem, non indignationem erga illos præferat, nec fœtorem horreat, ac mephytim graveolentium peccatorum, quos invenit infixos in limo profundi, & avernali cloaca Veneris, eorum fragilitati, & debilitati benignè succollans: cura, ut fias omnibus omnia, & sic omnes salvos facias. Vastum D. Ignatii Loyolæ cor ita constitutum, ita charitate erga proximum instrutum, & accensum erat, ut retracto ab ipso Paradysi limine pede, in mundum reversus fuisset, si vel unam de salute æterna periclitantem & à cœli tramite deviantem animam, ad hunc reducere, & in cœlum adducere potuisset,



Consideratio XVIII.

Pro die IX. secunda.

De officio Sacerdotis, cui cura animarum incumbit.

LIbro primo Levitici c. 7. Sacerdoti hostiam pacificam pro peccatis populi offerenti attribuitur pectus, & armus dexter ex immolato animali. Ejusmodi Sacerdoti jam tunc onus curandi & procurandi salutem animarum incubuisse credendum est, quippe qui constitutus erat ad immolandum pro *delicto populi*. Sed qua de causa ipsi in partem deputatur pectus & armus dexter victimæ immolatae? Audi claram symboli explanationem. Sacerdoti curam animarum gerenti necessarium est pectus generosum, animus intrepidus, ad corrigendos, & admonendos errantes, cujuscunque tandem sphæræ sint, suaviter quidem, sed simul fortiter, nec humerus desit, & quidem dexter ad dextræ, & ritè, ad majorem tempe DEI gloriam perferendos labores, & dolores in procuranda salute animarum necessariò exantlandos; accedat & manus humeris connexa, ad operandum, nullis unde quam

quam laboribus fatiganda, aut frangenda.
Enucleemus ista singillatim.

I. Villicus, ac colonus vineæ domini constitutus, excluso inerte otio, indefessas manus operi, & culturæ admoveat necesse est; secus facientibus, & torpentibus colonis à domino hujus vineæ dictum est: *quid hic statis tota die otiosi? ite in vineam meam.* Matth. c. 20. Admonitio, & reprehensio hæc justissima omnes illos dominicæ vineæ, id est animarum cultores, & Rectores tangit, qui detestandâ, & perversâ negligentia curas omnes impendunt sæcularibus negotiis, rebus domesticis, œconomiae, corradendis divitiis, infaciendo marsupio, augendis redditibus, pecuniis, dilatandis non tantum philacteriis, sed etiam horreis, stabulis, curandis equis, bobus, ovibus, porcis, conservando indemni coacervato frumento, tritico ad ea usque tempora, quibus ob communem annonæ penuriam summò pretiō, etiam gratiæ loco divendi possit: qui conviviis, lusui, venationi, compositionibus cum scandalo dediti, tempus sacris functionibus, parandis concionibus, excipiendis sacris confessionibus debitum & necessarium surripiunt, comburunt, & pessimè impendunt, agris, non ægris assistunt, moribundos omni ope destitutos in extremo illo articulo ac momento, ex quo pendet felix vel infelix æternitas, perfidè deserunt, nec teruncio, aut obolo ex superfluis re-

*L §. ditio,

ditibus sæpè in peñimos usus profusis de-
tracto pauperculos juvant, nullo solatio ne-
spirituali quidem aspergunt, & sæpè ne-
glectis omnibus morientium subsidiis, &
præsidiis periculosisimo certamini implica-
tos, inermes in alterum orbem extrudi si-
nunt. Non uno, sed multiplici ex fonte
profluere potest hæc abominanda pigi-
tia.

I. Ex quadam pusillanimitate, & abje-
ctione animi. Dices, te illis dotibus, quæ
ad dicendum aptè pro concione sunt ne-
cessariæ, haud esse instructum, te illa dex-
teritate, & prudentiâ, quæ requiritur ad
reconciliandos inter se dissidentes animos,
ad stabiliendam inter inimicos pacem, ad
tollenda scandalia ad abolendos abusus, ad
oviculas ritè pascendas, minimè prædictum.
Utique non illorum eris de grege, qui ad offi-
cium pastoris, ad curam animarum geren-
dam prorsus inepti sunt; alioquin hoc mu-
nere, quod tanti momenti est, ultra vires
tuas temerè suscepto, te ultro abdicare te-
nereris. Noli itaque in terram otiosa defo-
dere talenta, tibi à DEO concessa, sed
negotiare: si DEUS tibi imposuit onus,
DEUS etiam suppeditabit vires ad hoc se-
rendum necessarias. Immensa bonitas sua
DEUM adigit ad subministranda media,
& gratias, quibus suffultus, demandatum
tibi munus ritè exequaris; arma porrigit,
quibus instructus hostes, quos juberis ag-
gredi,

gredi, sternas, & susceptam expeditionem feliciter conficias: proin spem, & fiduciam omnem in illo colloca, qui te confortat. Exemplum luculentum nobis ante oculos ponunt sacræ paginæ l. 2. Paralip.c. 17. in Rege Josaphato, timidi & pusilli animi Principe: hic collocata omni in DEO, & hujus auxilio fiduciâ, jam magnanimus, & intrepidus, idololatriæ horrendum monstrum è regno suo non mirùs fortiter, quām feliciter exturbavit, quod priùs fieri posse ne quidem somniabat: *speravit in Domino, & cùm sumpsisset cor ejus audaciam, excelsa, & lu-*
cos de Iuda abstulit.

2. Oriri potest hic languor in cura animalium ex languore, & ægritudine corporis; si hæc te lecto affixum tenet, non jam tempus est laborandi, sed tolerandi, non agendi, sed patiendi fortiter. Si tamen tantum tibi virium superest, ut è lecto te proripere, domo exire, & ad aras facere possis, has virium reliquias parti salteria laborum, & functionum tui officii impendas velim, nec totum te illis subtrahas inertii torpens otio. De S. Gregorio Magno in vita legimus: *admirabilia sunt, quæ dixit, fecit, scripsit, decrevit, infirma s̄pe, & agra valeru-*
dime. Nunquam elabi sinito ex memoria, te,
si partes tui officii adimplere solus non po-
tes, obstringi ad utendum alienâ, & sociâ
operâ, conducendo etiam ære proprio, &
in

in partem laborum vocando cooperatorem
idoneum.

3. Inertiae hujus causa esse potest propria
indoles, & genius abjectus, torpens, & elum-
bis, laborum fugitans: sed tuum est ex-
pugnare naturam vitiosam & vincere geni-
um, adjuvante gratia: premenda sunt
Christi vestigia, cuius tu minister es; de
hoc legis Joan. c. 5. *Pater meus usque modo
operator, & ego operor, nunquam otiosus.* An-
nescis, servum pigrum, qui talentum sepe-
lavit, nec ad lucrum exposuit, severè fuisse
punitum à suo domino? servus ille utique
non satisfacit suo muneri, nec meretur
paetum salaryum, qui quidem non furatur,
qui neminem è domesticis lædit, verberat,
non murmurat, non turbas, non tricas sus-
citat, sed tota die in angulo aliquo domùs
complicatis sub axilla manibus sedet, &
stertit, nec digitum, nec pedem movens
ad laborem; ejusmodi ens superfluum non
præmiari, sed è domo eliminari, non sala-
rium sed fustuarium meretur. In quæstio-
nem vocat S. Thomas, an liceat religiosi ex
eleemosynis vivere; & decidit 2. 2. q. 187.
art. 4. *Si velint otiosi de eleemosynis vivere, est
illictum: & tamen religiosi nequaquam tam
arcte obstringuntur ad procurandam anima-
rum salutem, ut parochi, ex officio ad id
destinati: mercedem, quam ab Ecclesia ex
bonis Ecclesiasticis accipis, non mereris,
fructus non facis tuos, si laborare pro Ec-
clesia*

clesia recusas, ne pane quidem dignus teste
Paulo Apostolo i. Thessal. c. 3. *Si quis non
vult operari, non manducet.*

4. Tædum, & acedia talis originem
suam sumere potest ex nimia cura proprio-
rum commodorum, & negotiorum ma-
xime temporalium; sed quantum dedebeat,
quanta sit perversitas, curam & sollicitudi-
nem omnem, spiritualibus, & æternis ani-
mæ negotiis surripere, & caducis nugis
consecrare, cuivis patet; quin & spiritua-
libus, ac piis de se occupationibus, vitæ
tuæ, quam propteris, generi non congruen-
tibus te & tempus totum impendere, præ-
posterum est; non quidem salus propria
negligenda est, ut procuretur aliena; de-
serendus tamen quandoque ad tempus est
DEUS propter DEUM: error non exigu-
us foret parochi, si is assidue domi hæcere,
& dulci animi quiete, sacrorum librorum
lectioni, piis commentationibus, vel etiam
orationibus intentus, frui veller, quando
ad ægros, ad motibundos procurrendum,
assistendum, quando rudes instruendi, pu-
fillanimes solatio erigendi, oviculæ erran-
tes reducendæ, nosocomia visitanda sunt;
si hæc præoptâssat, Monachum, non pa-
rochum induere oportuisset. Agendum
quidem cum DEO, procul dubio, & qui-
dem quod frequentius, & ferventius, eò
melius, præcipue de conversione, & salute
proximi, animarum tuæ curæ commissarum,
simul

simul tamen tui officii est, agere cum proximo, cum tuis ovinis, ut à recta salutis semita non aberrent, vel ut ad eam reducantur. S. Bernardus explanans illa verba Canticorum: *meliora sunt ubera tua vino:* pluris estimat agere, & operari in salutem animalium, quam orare & contemplari, ita loquens: *noli nimis insistere vino contemplationis,* quia meliora sunt ubera prædicationis. Spavius tibi quidem fors accidet meditari, & contemplari, non tamen semper cibus, qui dulcior, idem etiam melior ac salubrior est.

II. Oportet parochum instructum esse robustis, & athleticis humeris, ferreo stomacho, ad fortissime sufferendas, & concoquendas populi sui ingratitudines, & crudissimos sœpè mores. Beneficia, quæ ipsis exhibebis, compensabunt maleficiis, maledictis, contumeliis, opprobriis, & injuriis; hæc merces tua erit ingrata nimis, & vix alia; à plebe cruditates, à tuis clientibus vilipensiones, murmura, querelas, à majoribus oppressiones, contemp-

tus.
Hos bolos crudissimos vix patientissimus Moysis stomachus concoquere potuit, quos ipsi ingratissimus, tot prodigiis enutritus, & defensus populus Israëliticus obtrusit; tantam nauseam creavit Moysi hominum mansuetissimo insolens cervicosi populi nausea, qua manna, cibum Angelicum, omne

omne delectamentum in se habentem, quotidie cœlō depluum aspernabatur, ad fœtidas Aegypti cepas, & ollas stolida fame anhelans, ut in has amaras querelas prorumperet: *non possum solus sustinere hunc populum, quia gravis est mihi.* Num. c. 11. Quid alud tu expectes, qui Moysis instar concreditum curæ tuæ populum ex Aegypto, ex dira peccati, & dæmonis servitute, per sterile hujus mundi desertum, in terram promissionis, fluentem lac & mel, in cœlestem patriam deducere allaboras? sed in hoc quoque Moysen imitare, ut ad Deum per orationem recurras, & siquidem hic tibi quoque, ut olim Moysi responderit: *porta eos, sicut portare solet nutrix infantulum:* ne cadas animo, suppeditabit enim tibi vires, tanto oneri portando pares.

Cavendum est præcipue ab impatientia, & vindictæ cupidine, nam bina hæc vitia contemptui exponunt parochum, & scandalo sunt suis subditis: non est medium aptius ad ritè regendos populos, patientiâ & mansuetudine: qui patiens est, multâ gubernatur prudentiâ; impatiens exaltat stultitiam suam Prov. c. 29. Aude, age, animos summe, cum Christo crucem porta, & honori tibi ducito ferre pondus tam noble humeris tuis à DEO, & non ab hominibus impositum: *principatus ejus super humerum ejus.* Isa. c. 9. Si tuæ oviculae sunt renientes, te fugientes, lucraberis earum affectum

fectum patientiâ, & mansuetudine: nec difficile accidet, eas ad ovile reducere, si bonum Pastorem imitatus, propriis impueris humeris. Si contra te insurgant, & conspirent, earum impetus & iras frange placido & suavi sermone. Exemplo tibi sit Gedeon, qui tumultuantis contra se tribus Benjamiticæ furorem sedavit & extinxit molli & pacato alloquio: *cum locutus esset, requievit spiritus eorum, quo rumebant contra eum.* Jud. c. 8. Si te partium studio nimis additum putent, carpant & murmurent, ad ductis causis blandè illos errorem suum dedoce; sic optimus Pater fam. Evangelicus à se conductos operarios, ob mercedem murmurantes compescuit. Quidquid sit, omnibus etiam illis, qui se tibi exhibent crudos, duros & asperos, tu te semper demonstra blandum, suavem & humatum.

Christus suorum ministrorum characteristicam esse voluit virtutem, mansuetudinem & patientiæ, sic enim præcipit: *discite à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Matth. c. 11. Cùm Joannes & Jacobus, ad ulciscendam Christo à Samaritanis illam injuriam, ab ultore cœlo in reorum capita provocarent fulmina, & tonitrua, hic igneus Apostolorum, & importunus zelus non laudem, sed vituperationem à mansuetissimo redemptore retulit: *nescitis, cuius spiritus estis.* Luc. c. 9. Quid aliud egit & dixit idem benignus.

nignissimus Redemptor, cùm Petrus in horto Gethsemani servore p̄æpropero gladium strinxit ad repellendos adventantium Christi hostium insultus: *mitte gladium tuum in vaginam.* Joan. c. 18. Spiritus iracundiæ, spiritus vindictæ, spiritus impatientiæ, non est, & nurquam fuit spiritus Christi, qui teste Augustino, *venit mira facere, & mala pati:* spiritu mansuetudinis, & patientiæ duce, mira operaberis in convertendis animis, & reducendis in salutis viam peccatoribus. Juvenis ille, viduæ Sareptanæ filius, qui baculo Giezi ad vitam à mortuis revocari non potuit, mox ad hanc rediit, quāmprimum Elisæus in compendium quodammodo viri contractus sua membra membris pueri commensurans, puerο incumbere, eūmque blandè sovere cœpit.

III. Non tamen tam ignava, & elumbi mansuetudine parochum torpere convenit, ut non suō locō ac tempore, quando, & ubi opus est, intrepidè increpare, & punire vitia audeat. Providi Numinis dispositione evenit, ut intermixta frumento zizania simul crescant, & adolescent, ut in sua, licet sancta Ecclesia, vivant mali cum bonis, justi cum peccatoribus: sic statim à primordiis Ecclesiæ permisit in omni hominum, etiam probissimorum genere, & classe tragicos casus, & funestos lapsus: in sacro Apostolorum

M.

Colle-

Collegio fœdè cecidit Judas, inter Diaconos, Nicolaus; inter discipulos, Cerinthus; inter Laicos, Simon Magus; & hoc eum in finem; ut vel nullus præsumat de suis virtibus, & statu, utcūt sacro & sancto, in quo vivit; vel ut nemo ob miserum lapsum, vel perversitatem unius, totam illam, in qua vivit, vel vixit communitatem spernat, & condemnet.

Quomodo cuique se res habeat, illud certum est, futuras in grege tuo oviculas scabiosas, fors non paucas, quæ blandis, & amore non trahantur, mollibus non sanentur; contra has igitur armatus est zelus, agendum imperterritè, cujuscunque conditionis, ac velleris quantumcumque sublimis, etiam aurei sint; frangendæ duris, quæ suavibus fleeti non voluerunt, adigendæ pedo, & flagello, quæ ostensò ramò viridi trahi recusârunt. Incestuosis Herodis sequacibus, esto novus Joannes Baptista; superbis tyrannis Pharaonis æmulis, esto novus Moyses; offendicula, & scandala ponentibus instar Achabi, esto novus Elias; deceptoribus, injusto lucro inhiantibus, Giezi sociis, esto novus Elisæus; bonorum alienorum præsertim DEO, & Ecclesiæ consecratorum detentoribus, & usurpatöribus, Ananias & Saphiræ sequacibus, esto novus Petrus: hæreticis pertinacibus Luther, Calvin &c. similibus, esto Paulus; ubi vis morbi lenia, & suavia elusit medi-

medicamenta, procedendum est ad amara, & aspera, etiam ad urendū & secundum paternis admonitionibus succedant judicis reprehensiones, & comminationes; interdicatur usus Divinorum m̄ysteriorum, sive Sacramentorum; non solvantur peccatorum, quibus innodantur, vincula; sed his obstricti relinquuntur aliquām diu in servitute diabolica: si p̄œna adhuc acetabore, & quæ potestatem tuam excedat, opus sit, ad fortius & altius recurre brachium. Non raro hoc efficacissimum, & ultimum est remedium, quod obstinate aberrantes ad frugem, & in viam justitiae possint iterum revocari: si percussaris virgā, non morietur: percuties, & animam ejus de inferno liberabis.

Prov. c. 23.

Mature, & temporī seca & ure, dum prodest sanitati graviter ægrotantis, & periculosè decumbentis, quæ unicè quæritur: privato tamen commodo semper præfendū bonum publicum, & commune omnibus; summa proin pietas est, in illos salvire, qui publicis scandalis alios perversunt, vel hæreticis, & pestiferis doctrinis imbuunt, & subvertunt: sententia hæc est S. Hieronymi Ep. 53. non est crudelitas, criminā punire, sed pietas. Quinimò maxima, inhumana, & barbara crudelitas foret, permittere ut tota Respublica perturbetur, & pereat, ne uni vel alteri molestus sis:

M 21

Con.

Consideratio XIX.

Pro die X. prima.

De obligatione parochi in sua parochia commorandi, sive residendi.

DUplex modus residendi, vel commorandi in parochia considerari, & proponi potest. Primus ut ita dicam, est materialis, seu corporalis; dum parochus vix aliter, quam ipsius domus, vel arbores in ipsius horto cespiti adnatæ, nunquam parochiæ suæ limites egrediuntur; alter residendi modus est, & dici potest quodammodo formalis & rationalis, priori sive materiali superadditus, dum parochus intra parochiæ limites hærens suarum oviularum necessitatibus adest, sacra mysteria, sive Sacramenta omnibus promiscuè administrat, eas verbô & exemplô pascit, lupum arcet, omnibus diu noctuque opem suam implorantibus indefessè impertit, & omnes boni vigilis, ac strenui pastoris vices adimpleret.

I. Communi omnium Doctorum consensu, nemine, quod sciām, refragante, parochus obstringitur ad commorandum intra paro-

parochiæ suæ limites; controvertitur, an hæc obligatio nascatur ex jure Divino, an Ecclesiastico: prius videtur afferere communior intentio; fors utraque opinio conciliari inter se posset, si statuatur, parochi præsentiam tunc jure Divino imperari, quando ex hac Pastoris præsentia dependet salus suarum oviularum, & ex absentia periclitaretur; ex jure autem duntaxat Ecclesiastico, quando per vicariam alterius sibi substituti operam æquè saluti animarum prospectum esset, quām si ipsem parochus corām adesset. Sed parūm refert; id extra omnem controversiam est, obligationem residendi esse gravissimam, & severissimè præceptam; vix enim, & ne vix quidem suo officio satisfacere poterit parochus absens, cùm ex ipsius absentia plerumque in subditis nascantur plurima & maxima incommoda: tibi commissus est grex; tu constitutus es Pastor, qui gregem pascat & defendat; & hoc quomodo præstabis absens?

Nec fas est gregem tibi concreditum pro lubitu committere alteri; tibi dictum crede: *cognosce vultum pecoris tui.* Prov. c. 27. Tu præfectus huic civitati, si tu desis, periculum est, ne se dedat hostibus; non est in arbitrio Ducis, cuius fidei Rex propugnandam contra hostes commisit arcem vices suas alteri cedere, & credere: *ubi non est gubernator, corruet populus.* Prov. c. 11. Tu es navis illius director, nauta, & navarchus;

te absente certum navi naufragium imminet; non penes navarchum est, aut remigem, temonem, aut remum alii ^{pro} lubitu cedere: descendit de navibus, qui tenebant remum; nautæ & gubernatores in terra stabunt. contrita es à mari, & omnis multitudo tua cederunt. Ezech. c. 27. Tu sponsus es illius Ecclesiæ particularis tibi commissæ, sicut Christus sponsus est Ecclesiæ Catholicæ, seu universalis; sponsus autem sive maritus jubetur & tenetur convivere suæ uxori, ne huic detur ansa prævaricandi: sic scœmina illa, ut turpitudines suas interim admissas excusaret, causata est diuturnam mariti absentiam. Prov. c. 7. Non est vir in domo: abiit via longissimâ. Nec te omnis culpæ credito expertem, si tibi interim substituas hominem idoneum, peritum & probum. Non poterat Moyses sibi absenti substituere apfiorem, quam Aaronem, & nihilominus sub Aaron populus in immane crimen idolatriæ lapsus est adorando vitulum aureum, imò ipse met Aaron in partem tanti criminis venit: & quid tandem prodest substituti Vicarii habilitas, ubi obligatio personæ inhæret, & industria personæ requiritur, atque exigitur?

Nec illum ego parochum officio suo rite fungi dixero, qui corpore quidem instans statuæ præsens, omnia suo facellano peragenda relinquit, & totum onus ejus humectis imponit, ipse nec digito tangens: longè mi-

minus, qui ne corpore quidem praesens est, Tridentinum absentiam parochi multat subtractione fructuum pro Rata absentia Sess. 23, c. I. de Reform. Arctius adhuc stringit parochum Vasquezius, docens, non tantum absentem, verum etiam presentem, sed tormentem, & operi ne manum quidem admoventem ipso jure naturali spoliari fructibus, cum hi respondeant praecedenti labori, & operarius tota die stertens, dolabram, secundum, malleum, falcem, ligonem, vel acumne quidem attingens, diurnum stipendium, & paestam pro labore mercedem justo titulo utique accipere non possit: an æquum judicas, ut aliis portet totum pondus diei & æstus, & tu mercedem accipias, alteri vix tenuem relinquens particulam?

Non ignoro, excusari, & liberari posse parochum ab obligatione residendi; causas enumerat Tridentinum, ad has quatuor contractas; prima est *Christianæ charitas*, ut si inter inimicos, & dissidentes extingueda sint odia, & reducenda pristina pax & concordia. Secunda est *ingens necessitas*, vel propria, vel aliena; ut si sanitas afflita reparanda, balneis &c. medicorum judicio curanda; si in gravi necessitate constituto succurrentum proximo. Tertia, debita obedientia, ut si Pontifex, Episcopus, vel aliis superior ita jubeat. Quarta dum est *utilitas Ecclesiae*, vel totius dicecesis, ut si frequentanda synodus; si coram tribu-

M 4. na-

nalibus tam sacerdotalibus quam Ecclesiasticis, comparendum ad defendenda jura Ecclesie, & ad litem huic motam finiendam.

His ita statutis Tridentinum adjecit certas conditiones, quas pariter oportet diligenter observare: inter has primo loco ponitur, ut haec absentia nullum Ecclesiae detrimentum afferat; hinc necesse est, ut cum constituas, vices tuas interim suppletur, qui Episcopo probetur, & ab hoc approbetur, æquâ ipsi assignatâ mercede. Secunda est, ut causa absentiæ indicetur Episcopo, & ab hoc approbetur scripto. Tertia, ut licentia emanendi non extendatur ultra spatum duorum mensium sine gravissima causa. Quarta tandem est, ut ab Episcopo revocatis, & ad redeundum monitis, non tamen parentibus, censuræ, vel aliæ pœnæ, etiam privationis beneficij infligi possint: tantâ sollicitudine urget Concilium præsentiam Pastoris in sua caula, judicans, ex ejus præsentia potissimum pendere gregis prosperitatem, & salutem.

II. Non tamen satis, si tantum sis corpore, & ut ita dicam, materialiter præsens. Non tibi blandire, aut credito, te tuo officio abunde satisfecisse, si intra parochiæ tuae limites hæleris ut status elegans in aula, vel palatio regio asservatur pro ornamento & decore loci: manendum tibi est in tua parochia, sicut custodi, & exploratori in sua specula, qui suo officio non respondet

det dormiendō , sed vigilandō ; bærendum
tibi est in tua parochia instar navarchi in
navi , cuius officium est , sedere ad clavum ,
regere temonem ; instar magistri in schola ,
cuius officium est non tantū in cathedra
sedere , sed ex eādem discipulos docere . Præ-
sentia Pastoris eum in finem exigitur , ut
gregem pascat ; hoc imperavit Christus ip-
sem , cùm Petro dixit , & ter repetiit Jo-
an . c . 21 . *Pasce oves meas* , eā de causā , judi-
ciō D . Bernardi , ut triplex genus pascuo-
rum , vel potius triplicem pascendi modum
indicaret : *pasce verbō* , *pasce exemplō* , *pasce*
sanc̄tarum fructu orationum .

1. Officii tui est, populum tuum verbis
corrigere, corripere, instruere in doctrina
Christiana prædicandô, catechizandô, præ-
sertim ætatem teneram, vel rudiorem: ô te
felicem, si ita loqueris! salus alterius, tua
pariter salus erit: *utinam regnetis, ut & nos*
vobis cum regnemus 1. Cor. c. 4. ô te infelicem,
si taceas! alterius interitus, erit tuus pari-
ter interitus: *Speculatorem dedi te domui Israël,*
si non fueris locutus, ut se custodiat impius à via
sua, ipse in impietate sua morietur, sanguinem
autem ejus de manu tua requiram Ezech. c. 3.
Hinc D. Gregorius Hom. 11. ejusmodi mu-
tos parochos vocat homicidas: *tot occidimus,*
quos ad mortem ire tacentes videmus. Non tibi
parochia concessa pro sella, vel sede, in qua
quiescas, & dormias; sed pro cathedra,
in qua stes, & prædices. Si curam anima,

M S. rum

rum in te susciperes, ut vivere liceret sine cura, te ipsum cum animabus tuis cura commissis in perditionis abyssum præcipitares; lex Ecclesiastica mille Canonibus te stimulat, severè imperans, ut indefessè, & ferventer ad populum ex altiore loco dicas; lex ipsa Divina, nullo inter Doctorem, & Pastorem sacrum factò discrimine, posuit quosdam Apostolos, quosdam Prophetas, alias Pastores & Doctores. Ephes. c. 4. & inculcat docendi, & pascendi verbō divinō oviculas necessitatem; clamat ipsa lex naturae, jure meritissimo laborem exigens ab operario mercedem petente, & accipiente.

2. Alterum pabulum, quod Pastor Ecclesiasticus subministrare debet suis oviculis, est bonum exemplum, & probæ vitæ tenor illimis: cassa, & vana sunt verba, si desint facta, & exempla; negligitur, & despicietur doctrina illius magistri, qui illis, quæ docet, è diametro contraria facit: eapropter Christus à te exigit, ut prius sis sal terræ per exemplum, *vos estis sal terræ*, & postea lux per doctrinam sanam: *vos estis lux*: & tandem concludit: *sic luceat lux vestra coram hominibus*, ut videant opera vestra bona. Matth. c. 5. Ita dilucidat hoc Christi effatum auctor operis imperfecti Hom. 10. quos illuminaveritis per verba, quasi lux, condite per exempla vestrorum operum, quasi sales. Sanitas populi, id est corporis originem trahit à sanitate capitatis: sic legimus 1. 2. Mach. c. 3. cum leges opti-

optime custodirentur propter Oniae Pontificis pietatem.
Vicissim improbitas, & malitia capitis de-
fuit in subditos: sic videmus in Herode
accidisse. Matth. c. 2. *Rex turbatus est, & om-*
nis Hierosolyma cum illo. Nec tunc te munere
tuo bene functum credito, quando nulli
offendiculo vel scandalio palam fueris; sed
memineris, Apostolorum Principem à te exi-
gere, ut sis forma gregis ex animo. 1. Petr. c. 2.
Modico durat tempore simulatio, præcipue
ubi perspicacibus prudentum oculis diu sub-
stat; facile enim larvam vel ipsa deponit,
vel oculati detrahunt: maculae solis, vel
altiorum planetarum, etiamsi aliquamdiu
objectionis tegantur nebulis, tamen his etiam
levi vento post modicam moram dissipatis,
ab omnibus observantur, & notan-
tur.

3. Tertium, quod oviculis tuis præbere
debes pabulum, est oratio. Si saepius lo-
quaris DEO de populo, consequeris id,
quod consequi non poteris loquendo cum
populo DEI. Propheta Samuel coram tota
concone aperte dixit, credere se gravi ob-
stringendum piaculo, nisi assiduis precibus
DEUM interpellaret pro populo Israëlitico:
absit à me hoc peccatum, ut cessem orare pro vobis.
1. Reg. c. 12. Præ omnibus caverendum, ne
unquam intermittas orationes illas, quas po-
pulus in unum collectus publicè in templo
certis temporibus peragere solet, consuetas
vesperas, processiones, sive circuitus 129
cros,

cross, aliasque cæmonias Ecclesiasticas præcipue tibi cordi sit, ut quotidie incruentum Sacrificium ad aram DEO offeras, saepius etiam pro salute animarum tuæ curæ commissarum, sicut te hujus obligationis tuæ admonet Concilium Tridentinum Sess.

23. c. I.

III. Primarium, & opiparum pabulum, quod oviculis tuis parare, & subministrare teneris, sunt sancta fidei mysteria sive Sacramenta ipsis necessaria, ut vitam Christianam ritè auspicentur, prosequantur, & finiant.

I. Tuum est statim ab initio vigilare, & diligentissime prospicere, ne ullus infans tūm recens natus sine baptismo, & hoc sacro fonte non ablutus, ex hac vita mox iterum decedat: ad hoc pium obsequium omnes quidem obstringit Christiana charitas, te verò tuum parochi officium, & lex justitiae. Tuum est, monere prægnantes matres, ne eos in se suscipiant labores graves, qui sine magna virium intensione, & corporis agitatione scœtui dissipando, vel enecando periculosa peragi nequeunt; tuum est invigilare illis puellis, quæ gravem suum errorem admissum longè majore rege: re conantur scœtum expellendō, procurato abortu, vel jam in lucem editum suppri: mendō: tui muneris est, omnem adhibere curam, & sollicitudinem, ut in periculosis partibus vel tu, vel alijs præstò sit, vel sal.

saltem obstetrics rite instruantur, quid in tali rerum articulo sit agendum, ne infans sine baptismo decedat, damnō per totam æternitatem irreparabili.

2. Jam adultiores oportet instruere, & præparare ut discant reliqua Sacra menta rite & cum fructu suscipere iisque uti suo tempore: inter hæc primum erit, ut ubi ad rationis usum pervenerunt, sacro Chrysmate inungantur, & confirmantur; subinde instrendi erunt exactè in iis, quæ necessaria sunt ad sacram confessionem, & Sacramentum pœnitentiæ: accedant ea, quæ spectant ad sacrum altaris Sacramentum, & ad dignè sumendam sacram Synaxin necessaria sunt: quæ altùm teneris animis insculpanda, & inculcanda erunt; quippe per totius vitæ decursum duratura: præbendæ erunt aures his & aliis patientes & faciles, qui ad sacrum tribunal animum expiaturi accesserint, eosque, si desiderent, pane Angelorum pas cere oportebit: matrimoniiis assistere, præmissis promulgationibus requisitis, sponsos que monere de Christiana, & sancta intentione, qua Sacramentum hoc suscipiendum, & imposterum etiam piè & sanctè servandum erit.

3. Tuum vel maximè erit, ubi ad mortem, & ultimum agonem ventum fuerit, tuis assistere filiis; curabis itaque etiam non vocatus, ut accurras, & illis omni ope, consilio, & auxilio adsis; omnibus morientium

Sacra.

Sacramentis eos munias , nec unctionem extre-
mam usque ad extremum vitæ limen dif-
feras , quando ægrotus jam mentis impos-
tum fructum ex hoc Sacramento haurire
non poterit , quem häusisset uberrimum sibi
compos , cùm Sacramentum hoc validè &
licitè conferatur , & administretur non tan-
tum in extremo , sed in quovis probabili
& claro mortis periculo : nec ita ad æterni-
tatis iter rite præparatum deserere imposte-
rum decet ; succurrendum ipsi est ulterius
suggerendi affectus varii variarum virtutum
fidei , spei , charitatis , doloris , contritionis
suaviter simul & ferventer , ac prudenter
nec antea discedendum , si fieri possit , quam
moribundus animam in labiis natantem in
patulum JESU crucifixi cor feliciter esslave-
rit . Si brevi illo tempore , ex quo pendet
æternitas , dæmon juratissimus animarum
hostis omnem conatum , omnes vires adhi-
bet , ad animam illam æternū perdendam ,
an tu segni torpebis otio , & non omnes po-
tiùs vires intendes , ut animam tuę fidei
concreditam leonis avernal is cruentis un-
guibus ereptam Christo redemptori resti-
tuas ?

Con-

Consideratio XX.

Pro die X. secunda.

De Viro Ecclesiastico ad Ecclesiæ
alicujus officia, & obsequia de-
putato, ut sunt Canonici
facellani &c.

Triplicis generis sunt obligationes, quibus
eiusmodi Ecclesiarum ministri obstrin-
guntur. Prima stringit ipsam ministri per-
sonam. Secunda concernit obsequium sive
ministerium Ecclesiæ exhibendum, ac præ-
standum. Tertia spectat Ecclesiam, cui
serviendum, & ministerium exhibendum
est.

I. **Canonicus**, vel quisquis ad certa mu-
nia in Ecclesia, vel etiam in facello tantum
quotidie obeunda institutus est, obligatur
& ipse in loco præsens adesse, cum finem
illum, ad quem institutus est, & ob quem
salarium accipit, consequi non possit, nisi
prælens sit, & ipsemet sacras illas functio-
nes, & exercitia peragat: hinc officium &
beneficium tale trahit ad se suum sacerdo-
tem. **Concedit** equidem **Concilium Tri-**
den-

dentinum hujus modi Ecclesiasticis absentiam
à suâ Ecclesia per integrum trimestre; hinc
tamen non derogatur certarum Ecclesiarum
Salubribus statutis, aut consuetudinibus;
subjungit enim: *salvis nihilominus Ecclesiarum*
constitutionibus, que longius servitii tempus re-
quirunt. Sess. 24. c. 12. de Reform. Ut autem
ultra tres mensies à sua Ecclesia Cathedrali,
vel Collegiata non absint, statuit, & dictat
hanc legem transgredientibus sequentes
poenam, ut primâ vice mulctetur media re-
dituum parte; si perget denuo ultra statu-
tum tempus abesse, privetur fructibus to-
tius anni: si necdum suam fleti, aut frangi-
sinat pertinaciam, privetur ipso beneficio:
sic statuit Innocentius III. 6. *Inter quatuor. de*
Cler. non Resid.

Nec minor residendi obligatio videtur
stringere omnes illos Clericos, qui ipsimet
sua obsequia alicui Ecclesiæ tenentur exhi-
bere, cum etiam isti à suo Episcopo, ita sta-
tuente Concilio Tridentino Sess. 6. c. 2. de
Reform. ad hoc adigi possint poenis, quas
exponunt sacri Canones Titulo *de Clerico*
non Resid. & C. fin. de Rescriptis. Nec desunt
Auctores, qui asserunt hanc residendi ne-
cessitatem nasci ex ipso jure naturali, quod
ipsos obligat, ut suscepto beneficio satisfa-
ciant, & hinc pariter, ut resideant, cum
priori obligationi alias satisfieri non possit.
Sed in his omnibus videtur attendenda con-
suetudo, mos, & antiqua statuta ejusmodi
Eccle.

Ecclesiarum, vel Capitulorum. Non tamen ea tantum de causa residentia horum Clericorum tam sollicitè urgetur, ut tantum adsint in loco, sed ut in illo loco, in illa Ecclesia suo fungantur munere; nec sine plebis scandalo videtur **Canonicus** ille in plateis otiosè deambulatus eo ipso tempore, quo ejus socii ac **Collegæ** in suis Ecclesiis devotè DEO laudes ex more decantant; nec ille facellatus suum impleturus officium, qui sacrificium statò tempore in suo templo vel facello DEO offerre obstrictus, illud pinguoris pro hujus celebratione, sorte in exequiis alicujus defuncti, stipendiī captandi gratiā, alibi offerret. Publicæ omnium ædificationi serviet, si his ministeriis diligenter, & si dignitate alios præcedas, vel inter primos sis, ad sis inter primos, vel primus, & aliis etiam exemplō præcas, ut locum hic habere possit illud Davidicum Psal. 67. *prævenerunt Principes conjuncti psallentibus in medio juvencularum tympanistriarum : in Ecclesiis benedicite DEO.*

II. Plura sunt alia quæ præter præstatiam sive residentiam viris Ecclesiasticis observanda sunt: libet ea strictim enumerare.

1. Præscribit Concilium Tridentinum Seſt. 24. c. 12. *de Reform.* ut **Canonicus** intra spatium duorum mensium post adeptam dignitatem consuetâ formula coram Episcopo, vel saltē Capitulo prout ibi mos fert, publice

licè profiteatur; ac juret Catholicam Romanam fidem; hanc professionem omitens, mulctatur privatione fructuum ex hoc suo beneficio provenientium. Ecclesia equidem, quæ de internis non judicat, contenta est hac externa professione, tuum tamen erit verba comitari corde & affectu, nec unicè tantùm hæc publicè profiteri, ut fructus percipere possis, sed ut exterius & proximo etiam pandas, quid animo fovreas.

2. Ut cantus in choro fiat ritu & modo debito, id est alta & non submissa, distincta & intelligibili voce, cum intentione, & attentione requisita, ut illud Pauli observetur: *Psallam spiritu, psallam & mente.* 1. Cor. c. 14. quod uberior explicat Cassianus l. 10. Collat. c. 11. *Amare, cum amat psalmista, timere, cum psalmista timet; laudare DEUM, cum ipse laudat, flere propter peccata, quando ipse flet.*

3. Ut diligenter intersis congressibus Capitularibus, in quibus agitur de negotiis sive Ecclesiam, ejusque utilitatem, sive totum Capitulum concernentibus, nec his sine gravi causa te subtrahas.

4. De distributionibus quotidianis propter præsentiam in choro percipiendis Tridentinum ita loquitur: *Distributiones, qui statim horis interfuerint, recipiant; reliqui his careant, quavis collusione, & remissione exclusa.* Sess. 24. c. 12. de Reform. illud insuper caveto, ne dum

dum te ordo tangit certa hora dicendi sa-
crum in tua Ecclesia, alium facile & pro lu-
bitu tuoque tantum commodo substi-
tuas.

III. Invigilandum, & prōspiciendum
Ecclesiis à suis Clericis, qui ex earum proven-
tibus sæpe satis laute aluntur, & sustentan-
tur imprimis quidem earum fundis, agris,
hortis, domibus, quibus fruuntur, utuntur
& sæpe abutuntur, ita ut illos destruant, &
exugant, nihil reparent maximè in ædibus
cum detrimento Ecclesiæ, & suorum in of-
ficio successorum. Subinde etiam in orna-
mento Ecclesiæ procurando, in paranda
decente supellestile sacra pro aris, pro ipsis
Sacerdotibus ad aras litantibus, magna est
negligentia: omnia quandoque in templis
& facellis etiam notæ primariæ tam lurida
& sordida deprehenduntur, ut meritò nau-
seam, & indignationem exciter supina in-
curia, & sacrilega, ut ita dicam, avaritia &
parsimonia illorum, qui tamen pinguia sala-
ria ex ipsis Ecclesiæ marsupio accipi-
unt.

Invenies quandoque certa templa vel sa-
cella latronum speluncis non multum d'ssi-
milia; fumo denigrata, pulveribus altis ob-
sita, loco peristomatum spissis & amplis ara-
nearum telis vestita: vestes sacerdotales la-
ceras, assutis centonibus sartas non uno,
sed pluribus in locis; vestes lineæ sunt nigræ,
soribus oppletæ, fœtentes, abstetlo su-

* N 2. dore,

dore , vel narium mucore horridæ ; illa ipsa mappa , cui Christi corpus imponitur , quod candore nives superare deberet , apparet centone culinario nigrior : cingulum sacerdotale crebris nodis interpolatum , & colligatum , calix antiquus abstergo auro nonnisi cuprum , stannum , vel aliquid de argento ostendens ; liber , ex quo missa legitur , ex antiquario Veneto , vix bene compactus , laceris & diffusis hinc inde soliis hiulcus ; canon sacer autem crebro usu ita attritus , & hinc inde disceptus , ac male conglutinatus , ut vix usui esse possit . Et hæc salvâ & illæsâ conscientia ! & quantum hoc dedecus , ne dicam nefas , & scelus !

Consideratio XXI.

De officio Episcopi , cui integra dioœcesis administranda est.

Non ausus fuissim calamum admoveere explicando Episcopi , vel Cardinalis officio , ipsâ hujus sublimitate deterritus , nisi Purpuratorum Patrum nonnemo non tantum stimulos , sed etiam imperia addisset.

disset, Audendum itaque, & parendum fuit: insistam proin vestigiis D. Bernardi ad summum Pastorem Papam Eugenium scribentis, qui in quatuor partes dividens munus Episcopi, ita Eugenium alloquitur: *Quatuor tibi consideranda reor: te, quæ sub te, quæ circa te, quæ supra te sunt. Lib. 2. de confid. c. 3.* Ex his quaternis officii Episcopalis partibus, prima spectat ipsum Prælatum, sive Episcopum, secunda ejus subditos; tertia ejus ministros, & adjutores, quarta DEUM, & DEI in terris Vicarium, sumum Pontificem.

I. Ulterius nos manuducit D. Bernardus ibidem. c. 4. *consideret, quid, quis, qualis sit.* Itaque meminerit imprimis, se hominem esse aliis parem naturâ & origine, nec ex nobiliore gleba, vel limo formatum præ aliis, natum nudum, miserum, impotentem, instar omnium filiorum infelicis protoplastæ nostri Adæ, non mitratum, vel pedô aut sacrâ purpurâ insignem, nec postquam DEI providentia ad hos dignitatum apices evectus est, exuisse pristinas naturæ congettatas miseras; adhuc esse & manere se mortis fatali dominio subiectum, instar reliquorum, nec sepulchrum, vel mausoleum magnificum, in quo condetur suum cadaver, impediturum, quo minus computrescat, & voraci vermium fami in opiparam elcam cedat, non minus quam aliorum cadavera. Hæc erit medicina præsentissima

N 3. ad

ad elidendum omnem in Prælati alicuius animo superbiæ tumorem, & implantandam illam humilitatem & demissionem tam necessariam, quam in sua consecratione spondit, cùm interrogaretur: *vis humilitatem, & patientiam in te ipso custodire?* Humilitatem, & animi modestiam præ reliquis virtutibus in his, qui præsunt aliis, requirit sapiens; *Reverem te posuerunt? noli extalli, sed esto in illis, quæ si unus ex ipsis.* Eccli. c. 32.

Hoc ipsum nos exemplo suo docuit ipsum supremum Ecclesiæ caput Christus Iesus, non alio se ornans titulo, quām filius hominis, cuius vestigiis inhærens D. Petrus primus in terris Christi Vicarius Cornelium centurionem suis advolutum genibus è terra statim levavit in hæc prorumpens verba: *surge, & ego homo sum.* act. 10. Hæc virtus præsulem reddet omnibus affabilem, benignum & amabilem; spectamus & laudamus hoc in Paulo gentium doctore, & amatore, qui de se ipso ita loquitur: *factus sum iudæis tanquam iudæus, infirmus infirmis, omnibus omnia.* I. ad Cor. c. 9.

Itaias Prophetico afflatus spiritu futuram fidelium Congregationem nempe Christi Ecclesiam describit sub schemate magni regis, & vastæ caulæ, in qua arctissimo amicitiæ, & pacis sœdere conjuncti, sibi blande conviverent lupus, & agnus, tigris & caper, leo & ovis, & quod maximum est, subjungit: *puer parvulus minabit eos.* Isaia c. 11. deno.

denotans sacrorum pastorum, ac præfulum huic caulæ, & Christi fidelibus præficiendorum animi demissionem, modestiam, & Christianam humilitatem oculos iterum conciamus in Paulum, veri & genuini in Christi Ecclesia antistitis prototypon, ita scribentem ad Thess. c. 2. facti sumus parvuli in medio vestri.

Nec aliud modus, aut aliud medium superest, quo Ecclesiarum antistites suis possint subditis, illisque vitam gratiæ & spiritum Christianum inspirent, quam ut seipso quasi in compendium hominis contrahant, se parvos faciant, & parvis ultronea demissione se coæquent, quo solo modo & medio olim Elias, & Eliseus puerum exanimem iterum vitæ restituerunt.

Consideret ulterius quis sit, nimirum quod sit Episcopus, & Ecclesiasticus atlas, cuius humeris incumbit pondus, etiam angelicis humeris formidandum, ut ait Trident. Sess. 6. de Reform. c. I.

Quantum Pastor eminet supra suum gem, tantum virtutum omnium splendore, morum integritate, illibata gravitate, & Christiana perfectione superare, & illuminare debet Episcopus suos subditos; hinc necesse est, ut sit excelsior, & aliquid plus, quam homo, ut sit Angelus, moribus angelicis. Profectò in Apocalypsi vocantur non homines, sed Angeli Episcopi Ephesinus, Smirnensis, Pergamensis, Thyatirensis, Philadelphiensis, & Laodicensis; & hoc ja-

*N 4.

re optimo; cum juxta doctrinam communem Theologorum, Ducem suum D. Thomam sequentium 2. 2. q. 184. n. 6. & 7. Conditio sive status Episcopi sit status perfectio-
nis longè sublimioris, quam sit status Religio-
sus: & hæc causa est, ob quam Episcopo
non licet dimissō pedō Monachum, vel
Religious induere, nisi in illis, quas In-
nocentius III. in cap. *nisi cum pridem.* expo-
nit, circumstantiis, ne transeat à statu per-
fectiore ad imperfectiorem.

Episcopus necesse est, ut sit lux sui po-
puli; civitas supra montem posita; fax vel
lucerna non sub modio, sed supra cande-
labrum posita; Pastor qui suis ovinis præ-
eat exemplo: *ante eas vadit, & aves illum se-
quuntur.* Joan. c. 10. verbo; oportet Epis-
copum esse virtutum omnium exactum pro-
totypon. Legatur Caput tertium Epistolæ,
quam S. Paulus ad Timotheum scripsit, in
qua veri Episcopi & Ecclesiastici Antistitis
genuinam effigiem vivis coloribus delineata-
ram omnibus pro speculo ob oculos ponit,
clamans: *oportet Episcopum irreprehensibilem esse,*
omnis maculae & defectus expertem, & om-
nigenis virtutum radiis solis instar illustra-
tum, *sobrium, prudenter, ornatum, pudicum,*
hospitalem, doctorem, modestum &c.

Hoc in speculo vultum suum attentè con-
sideret Prælatus, & dijudicet, an re ipsa ta-
lis sit, qualis esse debet, an illum sublimem
perfectionis gradum attingat, quem Episco-
palis

palis dignitas requirit. Avertant superi, ne & ipsum tangat fulmen illud, quod olim vibratum est in Episcopum Sardicensem: *Nomen habes, quod vivas & mortuus es. Apoc. c. 3.* Si hujus Antistitis peccatum superis tam abominabile fuit hypocrisis, uti putat Lyranus, hinc discat sibi ipsi non blandiri, sed persuassimum habere, illum Episcopum suo muneri minimè satisfacere, qui externo simulatae virtutis cortice tectus, interno ac solido pietatis nucleo destitutus sit: alias tibi quoque, ut prædicto Episcopo Sardensi à DEO exprobrari poterit ibidem: *non invenerio opera tua plena; nam omnia erunt nubes cassæ, & poma Sodomitica.*

Exigit D. Petrus, ut Episcopus sit gregi suo idæa & regula benè vivendi sine omni furo, & simulatione, *forma gregis ex animo i. Petr. c. 5.* Fictio, & simulatio non fert æstatem, præsertim in illis, qui in sublimi gradu positi omnium exponuntur, & observantur oculis: solis & lunæ maculæ explorantur, & notantur acutissimis tubis opticis, & telescopiis. Si autem externa probitatis species, & speciosus cortex absque interno nucleo nil juvat Episcopum, quid speret Episcopus, qui detraetô etiam hoc externæ modestiæ & probitatis pallioldô, improbitatem suam nudam exponeret suorum subditorum oculis, & publico scandalo? Audiatur Concilium Tridentinum Sess. 25. de Reform. c. 1. Caveant, ne quid appareat à sancto instituto alienum,

N 5.

quod

quod simplicitatem, DEI zelum, & vanitatum
contemptum non præferat.

II. Pars altera muneris Episcopalis se ex-
tendit ad subditos, quorum aliqui sunt Cle-
ri, & Aræ destinati, alii sacerdotes, & po-
pulo annuntiandi. Non enumerabo sin-
gillatim, quid utrisque Episcopus præstare
teneatur; perstringam potiora, & ea, quæ
sunt majoris momenti, & præcipue cavenda
sunt.

Imprimis proinde curandum erit, ut ne-
minem præproperè & inconsideratè Clero &
Ecclesiasticæ militiae adscribat, sed illos so-
lùm, qui vocantur à DEO, tanquam Aaron, Hebr.
c. 5. His annumerandi non sunt, qui, ut ait S.
Gregorius Lib. Moral. 23. c. 17. sacris Ordinibus non
vintutum merita, sed subsidia vita presenvis exqui-
runt. Ne primis quidem initiet de quibus
spes non est, eos ad altiores etiam suotem-
pore suscipiendos Ordines aptos, & dignos
futuros; altioribus vero Ordinibus, qui
vinculo insolubili, præsertim castitatis, sus-
cipientes adstringunt, non consecret, & in-
necdet, nisi quorum vita sit illibata, & mo-
res integri; quorum vita senectus est, ut loqui-
tur Tridentinum Sess. 23. de Reform. c. 11. & 12.
& ipsum nomen Græcum Presbyter in-
dicat. Nunquam memoriâ sibi elabi sinit
illud Apostoli; manus nemini citò imposueris.
1. Tim. c. 5. Non est in ejus potestate pro-
idoneo judice, eumque in sacris tribunali-
bus ad excipiendas fidelium sacras Confes-
siones

siones exponere sace: dotem illum, qui post rigidum examen prævium à viris prudentibus, peritis & doctis judicatus, & declaratus fuit ad hoc munus ineptus, ut asinus ad lyram: & è contrario repellere ab hoc munere, & functione nefas est, qui omnium legitimorum judicum incorrupto calculo aptus & dignus inventus, & declaratus est: & sicut excedi potest in rigore, si viri doctissimi, & omni exceptione maiores examini subjiciantur, ita delinqui potest nimia conniventia, si quis ad quodcunque testimonium, & leve solium commendatitiae laudis ab omni ulteriore discussione, & accuratiore trutina mox ad sacra tribunalia promoveatur.

In reservandis, & adempta aliis inferioribus subsellii judicibus potestate, ad suum solius tribunal revocandis delictis, sive ut loquimur, casibus, ne sit nimius, cum esse dedeant atrociora, & graviora crimina. Trident. Sess. 14. de Reform. c. 7.

Nec in ejus arbitrio est, ad paræcias, & beneficia promovere quoscunque pro lubitu, sed solum præ aliis aptiores, & digniores; hoc requirit, & præscribit Tridentinum Sess. 24. de Reform. c. 18. Nec per digniores intelligendi sunt illi, qui non sunt indigni, quodammodo negativè, quasi Concilium solos indignos exclusos voluisse; nec eo in sensu quodammodo positivo, quasi Concilium omnes, modò re ipsa digni sint, inclu-

clusos voluerit; sed in sensu proprio, & comparativo, ita ut ex dignis inter se comparatis, illos eligat, & promoveat, qui ex teris inveniuntur digniores & aptiores. Inspiciatur, & perpendatur *Propositio 47. ab Innocentio XI. damnata.* Non tamen pro trutina ad comprehendendam majorem alicujus Candidati dignitatem vel aptitudinem assumenda est sola stemmatis vel sanguinis nobilitas, vel solùm quòd tuæ sit diœcesis, vel unicè ideo, quòd diu, & aliis diutius sua oblie-
di quia Ecclesiae impenderit, sed hæc præci-
pue desumenda est ex majori scientia & do-
ctrina conjunctâ cum insigni prudentia,
morum integritate, vitæ probitate, ani-
marum discreto zelo, & animi fortitudine.
In beneficiorum distributione judicem, &
dictatorem non agat ullus inordinatus affe-
ctus, aut cœcus amor sanguinis, amicitiz,
precum, litterarum commendatitarum, nam
iniquus & mendax hic rerum æstimator, &
proxeneta facile vitrum pro adamante pro-
ponit, & indignum depingit tanquam om-
nibus numeris absolutum, ac præ omnibus
aliis dignissimum.

Nec oneret beneficium certis pensioni-
bus, cum hoc sit conferendum sine dimi-
nutione, & integrum, ut l. 3. *decret. tit. 12.*
præscribitur; alioquin facile poterit eveni-
ore, ut injusta partitione unus ferat laborem,
alter mercedem labori debitam.

Sæpe in aulis, vel palatiis antistitum sacro-
rum

tum non tam arctè clauduntur, & oppes-
sulantur portæ, ut illa non clam penetrant,
& irrepant subtilioris simoniæ mentalis,
confidentialis latrunculi, præsertim quando
sunt, qui ejusmodi Prælatis sua exhibent
obsequia facellani, cooperatoris, Secreta-
rii, &c. obsequia sine omni, vel cum te-
nuissimo non tam salario, quam honorario,
ut hujus defectus subinde suppleatur, &
compensetur collatione proximè vacantis
beneficii.

Cordi & curæ habeat, ut ubi mos vigeret,
singulis annis celebret synodum diœcesa-
nam, & ad hanc Clerum suum convocet;
sicut etiam sub pena suspensionis ab officio
mandatur c. singulis annis d. 13. c. sicut olim de ac-
cusat. Hoc ipsum renovatur, & confirmatur
à Tridentino Sess. 24. de Reform. c. 2. vel
ubi mos iste non vigeret, aliis visitationibus,
& inquisitionibus defectus hic emende-
tur.

Solennes, publicasque functiones Eccle-
siasticas statis diebus cum debita pompa
celebret, concionibus publicè interveniat,
ad populum ædificandum, & pusillorum
scandalum avertendum.

Alterum munus sacri antistitis non jam
ad solum Clerum, sed ad totum populum
suum se extendit. Non repeto illa, quæ
superius de obligatione residendi statuta &
dicta sunt: ne tamen surdis auribus prætere-
at antistes à suis oviculis absens, justus
que.

querelas, iacto & minas, quibus eum Deus
iratus excipit, has paucis & obiter propono
ex Propheta Ezechiele: *Dispersæ sunt oves mee,
et quod non esset Pastor, & factæ sunt in devoratio-
nem: erraverunt greges mei: super Pastores requi-
ram gregem meum &c. Vx pastoribus Israël &c. c. 34.*
Concedit equidem Tridentinum absentiam
per duos, & ad summum tres menses singu-
lis annis, sed sat arctis circumscriptam limiti-
bus, & limitationibus, nimirum ut hoc
equa ex causa fiat, & absque gregis detrimento.
Sess. 23. c. 1. Deinde monet, ut hæc absen-
tia non incidat in tempora Adventūs, qua-
dragesimæ, natalitiæ Christi, Paschatis,
Pentecostes, & Theophoriæ: tandem ad-
iungit pœnam privationis fructuum pro
Rata absentiae, si hæc non observentur. Ip-
sam tamen præsulis præsentiam minimè de-
cet esse inertem, sed vigilem, & sollicitam
in custodienda Ecclesia, & instruendis
Christi fidelibus in rebus fidei, ad salutem
necessariis, & doctrinâ Christianâ, memor
illius quod ipsi dictum, & inculcatum fuit,
cum in Episcopum inunctus, & consecratus
fuit: *Accipe Evangelium, & prædica populo tibi
commisso.*

Nihil magis proprium est, & incumbit
Episcopis, quam suas oviculas pascere cibo
solido, verbô DEI, sanâ & Catholicâ co-
etrinâ; nihil magis inculcat & mandat suo
Timotheo tanquam Episcopo D. Paulus,
quam ut huic suo muneri non desit. 2. ad
Tim.

Tim. c. 4. *Opus fac Evangelistæ, ministerium tuum imple.* Concilium Tridentinum exigit ab Episcopis Sess. 3. de Reform. c. 2. ut ipsi met Episcopi Cathedras descendant, & suis verbis Divinum prædicent, vel si ob causam justam hoc **officio** ipsimet fungi non possint, alium idoneum sibi substituant, qui tanti momenti officio rite & cum fructu fungatur.

Piæterea monet Episcopos serio, ut hoc ipsum exigant à subjectis sibi parochis, & sedulo invigilent, ne in hoc deficiant, aut desides sint, ipsorum zelum excitandō, ac stimulandō tum pœnis ac censuris, si opus sit; tum propositis præmiis, & reddituum augmentō fervorem accendendō, quos, his tamen torpentibus, derivare oportebit in illos, qui horum vices agere, & supinum torporem supplere coguntur.

Exserat suum zelum non solùm in publicis concionibus ad populum, sed etiam in privatis colloquiis intra domesticos parietes, quæ nonnisi pietatem, & sanctitatem spirent; potissimum ubi de tollendis scandalis, vel extirpandis hæresibus agitur; hoc est, quod suum Timotheum docuit Apostolus his verbis: *prædicta verbum, insta opportune, importune; argue, obsecra, increpa.* Ubi suavitate nihil proficit, adhibeat seriatem, rigorem; utatur autoritate, & potestate sacri Pastoris; agat intrepidè, obviet scandalis, imperterritè oves, & ovilenum tuea-

Deus
pono
s mee,
ratio.
requi-
c. 34.
ntiam
indu-
imiti-
hoc
uentoi
bsen-
qua-
hatis,
n ad-
pro
. Ip-
e de-
citam
endis
utem
emot
suit,
ratus
e tibi

imbit
cibo
i co-
t suo
ulus,
z. ad
m.

tueatur contra lupos, nec potentium iras vel minas etiam armatas formidet; sit, & se esse demonstret, quem Bernardus esse voluit Eugenium Papam, contra adulteros Joannem Bapt.; contra fornicarios Phinehem; contra scandalosos, & seductores Eliam, contra avaros, & auri mancipia Eliseum, contra mendaces & fallaces Petrum, contra blasphemos Paulum.

Sed quoniam ejusmodi excessus, & scelerata sœpè frequentius & audaciùs committuntur absente, quam præsente, aut vicinò Episcopò, hinc necesse est, ut in remota etiam loca excurrat, lustraturus & inspecturus omnia; ita non tantum judicabat consultum sed etiam necessarium D. Paulus, ita Barnabam itineris sui socium alloquens: *Revertentes visitemus fratres per cunctas civitates.* Act. c. 15. Nomen *Episcopus* à Græcis de sumptum, latinitate donatum idem sonat ac *Inspector*, cuius officium est, non tantum à longè res suas, vel suæ curæ commissas observare, sed è propinquo accuratè propriis oculis inspicere: hinc Episcopus singulis saltē bienniis, vel trienniis suam diœcesim percurrere, & lustrare tenetur ipsemet; vel si sit legitimè impeditus, per alium strenuum virum, ac vicarium.

Sic præscribit, imò ad brevius etiam tempus obstringere videtur Tridentinum Sess. 24. de Reform. c. 3. dilucide exponens, quem in finem hæ *visitationes*, & sacræ lustra-

strationes institui debeant, nempe ut hæreses in herba maturè suffocentur, & extirpentur; ut aberrantes in viam justitiæ revocentur; ut inimicitia, discordia tollantur; pax maximè inter conjuges dissidentes reducatur, & stabiliatur; ut varii abusus eradicentur; Christianis probi, & innocentes mores implantentur; ut Ecclesiæ, altaria, horum ornatus, sacra supellex inspiciantur, & examinetur, an pia legata ad mentem fundatorum adimpleantur, aliæque obligationes executioni mandentur, & si quæ sunt alia, quæ vigili oculo, & emendatione indigeant.

Subjungit ibidem varia monita, quæ suam diœcesim lustranti Episcopo observanda sunt; imprimis ut victu utatur frugali, & moderato; ne cuiquam oneri & gravium expensarum causa sit; ne plures quam necesse sit, comites, vel famulos asciscat; ne hi munera, & congiaria, quamvis ultrò oblata accipiant; longè minus petant, vel etiam extorqueant; qui autem hæc non observant, teneantur accepta restituere in duplum & quidem intra anni unius spatium, ab ipso Episcopo tamdiu arcendi ab ingressu Ecclesiæ, ab officio, & beneficio, donec sequatur, & fiat dicta restitutio, ita ut ab hac eos non liberet aut eximat ultronea remissio & libera cessio ipsorum donantium, cum etiamnum perstet in suo vigore Constitutio Gregorii X. lata in Concilio Lug-

O

dunen.

dunensi. c. Exigit. de censibus. quod postmo-
dum etiam ab ipso Concilio Tridentino ap-
probatum, & confirmatum fuit Sess. 24.
de Reform. c. 3.

III. Tertia Episcopo incumbens obligatio
se extendit ad ejus ministros; hos imprimis
necessitatem habere, deinde necesse est, eos
esse bonos, & aptos ad ritè fungendum suo
officio; demum necesse est eos sui officii ad-
monere, & quæ suarum partium sint edocere.

Itaque Episcopus, quantumvis omnibus,
& præclarissimis, quæ in Episcopo deside-
rari possunt, dotibus videatur instructus,
de se non tantum præsumat, nec tam aliè
sapiat, ut solus ipse nemine consulto, om-
nia etiam ardua negotia expedire & con-
cere velit, nisi & ipse mereri. & incurtere
velit acerbam quidem, justissimam tamen
exprobationem, quâ Moysen omnia, nullò
in laboris partem admisso, se solo admini-
strantem, Jethro ejus sacer exceptit; hinc
enim ex accumulatis negotiis horum expe-
ditio, & confectio in longum protraheba-
tur, moræ moris ne stebantur, causæ & li-
tes protelabantur, & differebantur, non
sine populi nauseantis justo murmure, &
justitiæ detrimento: Et omnis populus præsta-
batur de manæ usque ad vesperam. Exod. c. 18.
Subjunxit itaque Jethro: Stulte labore con-
meris, ultra vires tuas est negotium: persuasit
que Moysi, ut partitus in alios laborem, sibi
servaret negotia majoris momenti, ut sic
om-

omnia facilius & citius expedirentur, simul
litigantium querelæ soparentur, & justitiae
legibus accuratius satisficeret.

Quod alterum punctum attinet, cordi &
curæ ante omnia habeat, ut sibi ministros
deligat ad ea munia, quibus illos præficere
statuit, aptos, & capaces; qui vices suas
gerant, sive Vicarios, Confiliarios, Con-
sistoriales, & Consistorii Præfides, Deca-
nos Rurales, Parochos Sacellanos, Cancella-
rios, Secretarios, Notarios. Dotes, quibuscum
modi ministros, quos tribunalibus præficiat,
convenit esse ornatos, colliges ex manda-
to Moysi à DEO dato Num. c. 11. *Quos*
nōsti, quod senes sunt populi, ac Magistri: nempe
viros sibi non tantum ex aliorum narratio-
ne, & commendatione non raro fallace, ob
cœcum affectum sinistrâ, sed ex propria
experientia notos; ætate morumque gravi-
tate venerabiles, judicio, intellectus perspi-
caciâ, ac prudentiâ conspicuos; tam sacri,
quam prophani ac civilis tam communis,
quam privati, ac municipalis juris peritos, le-
gum tam Divinarum, quam humanarum gna-
rios, versatos etiam in Theologicis, maximè
que de moribus agunt. Adde illud, quod præ-
scribitur Deuter. c. 1. *Quorum conversatio probata*
fit: nempe ut sint viri, quorum æquitas, &
probitas omnibus sit perspecta; præterea
illud quod exigitur in hujusmodi ministris
Exod. c. 18. *Timentes DEUM:* ut DEUM
semper præ oculis habeant, cùmque magis,

O 2. quam

quām omnes homines, quantumvis magnos
ac potentes vereantur, & obseruent: in
quibus sit veritas: qui sibi fucum fieri, & falsi-
tibus illudi non sinant, nec alios ipsi de-
cipiant; & qui oderint avaritiam: qui se auri
& argenti splendore non sinant excēcari:
hinc competens, & largum salarium ex æra-
rio ipsis assignetur, ne hujus defectum ali-
unde, & injustis artibus compensare, & mu-
neribus inhiare cogantur, & ita justitia ve-
nalis reddatur, & prostituatur plus offeren-
ti; nam hæc excēcant oculos judicū. Eccl. c. 20.
ne causæ pauperum, & oppressorum, qui
judicis libram inungere, vel auri pondere
in suas partes fletere non possunt, nimium
protrahantur, & pejus, id est pro affectu,
non pro æquitate decidantur.

Tertium, cui Præsul Ecclesiasticus illiga-
tur, officium est, ut suos ministros stimulet,
& compellat ad fungendum suo, quod ipsis
commissum est, officio, strenuè, impigre
& exactè, sanctum Regem Josaphat imitan-
dō, qui suis ministris & præfectis identi-
dem inculcabat: *non hominis exercetis judicium,*
sed DEI 2. Paral. c. 19. Officium judicis est
officium non tam hominis, quām DEI, qui
tandem omnes judices, & omnia judicia ipse
judicabit; *quodcumque judicaveritis, in vos re-
dundabit.* Æquitas vel iniquitas vestrorum
judiciorum ac sententiarum à vobis latarum
ad severam trutinam vocata tam à DEO,
quām etiam à me, ajebat æquissimus Josa-
phat,

phat, justis afficietur præmiis, vel pœnis: *sic timor Domini vobiscum: memores estote, de omnibus à vobis rationem reddendam supremo judici DEO: cum diligentia cuncta facite: cavete, ne ex vestra negligentia, & desidiâ litium decisio protrahatur, & diu suspendatur cum magno litigantium dispendio expensarum: non enim apud Dominum DEUM iniquitas, nec personarum acceptio, nec cupido munierum.*

Tria insinuantur vitia judicibus summo-
pere vitanda: *injustitia, acceptatio perso-*
narum, munierum aviditas & admissio.
His non multum dissimilia documenta, &
menita impertivit Moyses sibi subjectis ju-
dicibus: *audite illos, ait Deut. c. 1. faciles*
præbete aures ad vestra tribunalia confu-
gentibus, & quod justum est, judicate: æqui-
libris semper apud vos pendeat statera justi-
tiae sive civis sit, sive peregrinus: absque omni
sinistra, ac nimia propensione & affectione
animi: nulla sit personarum distantia: omni per-
sonarum respectu seposito: ita magnum audie-
tis, ut parvum: non solùm enim acceptatio
personarum locum habet, quando judex
fert sententiam, sed etiam quando testes
adducentur, tabulæ proferuntur, & ratio-
num momenta utrinque proponuntur, &
ponderantur.

IV. Quartum officium, quod stringit,
& obstringit Episcopum, ejus superiores re-
spicit; hi sunt DEUS, summus Pontifex,
Metropolitanus, sacra Concilia, horum

O 3*

Can.

Canones, statuta, & ordinaciones, DEO
debetur cultus, & amor: reliquis vene-
ratio, subjectio, & obedientia.

Primum quod attinet, perpendendum est,
Christum Dominum, antequam Petrum
Ecclesiaz suaz cum supraemā potestate p̄fisi-
ceret, p̄vium instituisse examen de ejus
erga se amore, ita interrogando: *diligis me,*
plus bis? Joan. c. 21. S. Bernardus hanc in-
terrogationem magis dilucidans, addit:
diligis me plus quam tua? id est plus
quam tuam famam, tuum honorem, plus quam
tuas divitias? *diligis me plus quam tuos?* id est,
plus quam tuos genitores, tuos consan-
guineos, amicos? *diligis me plus quam te?*
Serm. 76. in Cant. id est, tua commoda,
tuam sanitatem, tuam vitam? Doctores,
& Patres alii adhuc aliter hanc Christi in-
terrogationem interpretantur, rati, Chri-
stum interrogasse, utrum Petrus Christum
vehementius, & ardentius amaret, quam
Christum amarent reliqui Apostoli omnes
tunc presentes, & futuri subditi Petri tan-
quam capititis & Christi vices gesturi in ter-
râ; innuens, Pastorem, & Superiorem non
tantum gradu ac dignitate suos subditos,
sed etiam amore & charitate solidâ erga
DEUM superare debere. Petro affirman-
ti, & contestanti, se eum verè & sincerè,
ex toto corde amare, divinus Magister re-
posuit, *pascere oves meas:*

Nazianzenus hoc Christi monitum
per-

perpendens, observat, Christum non ius-
sisse, ut Petrus se aleret, & paseceret ex
suis oviculis, scelerati enim Pastoris est dicero,
lac comedam, & lanâ induat meipsum pascens,
non gregem. Orat. 6. Quin ne quidem dixit
Petro, pasce oves tuas, sed meas, ea de cau-
sa, ut verus, & genuinus Pastor gregem,
cui præest, nunquam consideret ut suum,
sed ut gregem Christi, & suæ curæ, ac
vigilantia à Christo commissum, Christique
sanguine mundatum: posuit Episcopos regere
Ecclesiam DEI, quam aquisivit sanguine suo.
Act. 20. Hæc enim cogitatio gignet in ejus
animo castum DEI amorem, ex quo na-
scatur pariter castus & pius amor erga suos
subditos, & oviculas à DEO sibi concre-
ditas; hic vires suas exeret ante omnia erga
Domum DEI, & persuadebit, ut DEI cul-
tum, per cultum & decorem Ecclesiarum Ca-
thedralis promoveat, & ab hac ad alias sibi
subjectas Ecclesias progrediatur. Subinde
facilius poterit exigere, ut etiam parochi
suas Ecclesias conservent mundas, decen-
ter ornatas, utensilibus sacris convenienter
instrutas, in quibus statim tempore & ordine
sacrae functiones exactè peragantur, elimina-
tis omnibus fôrdibus; quantum autem feret
piaculum, ac dedecus, ne dicam scandala-
lum, si Cathedralis & Episcopalis Ecclesia,
quæ cæterarum omnium prototypon, spe-
culum, & norma esse debet, ipsamet fôrde-
ceret? si in ipsa squalient altaria, pulve-

O 4. ribus

ribus obsita, aranearum telis obducta, vestes sacerdotales lineæ, & laneæ, vel byssinæ attritæ, mucidæ, laceræ?

Id ipsum sentiendum de exercitiis, & functionibus sacris & Ecclesiasticis consuetis, quales sunt comprecationes publicæ & solennes, piæ processiones, sive Religiosi circuitus, psalmodiæ & cantus sacri præsertim in choro &c. ad hæc omnia non tantum hortari voce, sed longè magis facto suadere exemplo prælucere omnibus, totique sua diœcesi præire debet Episcopus.

Summo Pontifici, suoque Metropolitano reverentiam & obedientiam, quam debet, exhibeat, nec ægrè ferat, aut indagationem prodat, multo minus persequatur, si quis ex suis subditis à suo ad altius tribunal, & superiorem judicem appellaverit, nec sententiam ab alio latam suæ contrariam carpat, aut injustitiæ arguat, & condemnet. Urgeat fortiter observationem legum Ecclesiasticarum, & ipsem ac curatè adimpleat, quæ Episcopis præscribuntur, præsertim à Concilio Tridentino; hac enim ratione omnium optimè, & efficacissimè poterit exigere à subditis sibi Clericis, & Ecclesiasticis, quin etiam sacerdibus, totoque populo; ut & ipsi diligenter præstent, quæ illis speciatim, his verò in commune mandantur, vel prohibentur. Diligenter meminerit, sibi in ejusmodi legibus dispensandi potestatem minimè competeret,

petere, nec facultatem ampliorem, quam ipsi concedant hæ ipse leges; cùm extra omne dubium sit, *inferiorem non posse dispensare in lege superioris*. Si tamen exigente quandoque necessitate, in absentia superioris, ad quem recurri non potest, episkopia utendum, & dispensandum est in ejusmodi legibus, ne dispensatio sit subreptitia & illicita, observanda sunt, quæ præscribuntur à Concilio Tridentino: *causa cognitâ, ac summa maturitate, atque gratis: aliter dispensatio subreptitia censeatur*. Trid. Sess. 25. de Reform. c. 18. alias subditorum peccatis scipsum innodabit.

Consideratio XXII.

De officio Viri Ecclesiastici ad gradum Eminentem in Hierarchia Ecclesiastica electi.

Quæ hic proponentur, decerpta sunt ex libello, cui titulus præfixus est: *de Cardinalis dignitate & officio*, à P. Hieronymo Plato S. J. ad suum dominum fratrem Flaminium Platum S. R. E. Cardinalem scripto: nemo igitur miretur, vel carpat nimiam in scribendo libertatem, memor, à fratre

*O s.

fratris

fratre scribi ad fratrem, quos inter ut arctior necessitudo, & familiaritas, ita major quoque agendi licentia, & candor intercedit. In tres igitur classes dividentur ea, ad quæ adstringit sacra purpura illum, qui illâ induitur: ad primam spectat, ut suo officio rne fungatur; ad secundam, ut illis virtutibus studeat acquirend s, quæ statui suo preter aijis sunt propriæ, & necessariæ: ad tertiam, ut exuat, & deponat certos affectus, & vehementiores animi propensiones in suo statu saeperius valde periculosas, & noxiæ.

I. Duo præcipue sunt à quovis purpuroto Patre, sive Ecclesiæ Romanae Cardinali praestanda 1. Eligendus est summus Pontifex; 2. ritè Electo subinde in Ecclesiæ Regimine pro viribus indefessè, & impertinente assistendum. Præter hæc duo officia cuivis communia; etiam singulis seorsim singularia imponuntur conditioni Cardinalitæ propria: aliqui enim mittuntur in aulas principum legati sacræ sedis, aliis imponitur officium protectoris certorum Ordinum Religiosorum, Congregationum, locorum piorum, regnorum, vel provinciarum.

Primum omnibus & solis jam Cardinalibus competit, nempe Electio summi Pontificis, in cuius partem olim etiam alii veniebant, vel se intrudebant homines in Ecclesiastica dignitate constituti; ita definitum & statutum

tum est in Concilio Lateran. c. liceit, de Elect. & confirmatum in Concilio Lugdunensi c. ubi periculum, de Elect. in 6. Colophonem addidit Clemens V. Clement. Ne Romani. de elect. Quanta circumspectione, & attentione, quam defæcata intentione, non erit opus in negotio tanti momenti, ut eligatur non tantum dignus, sed dignissimus eligatur, qui totum orbem quoad meliorem, & præcipuam sui partem, nempe spiritualia, & cœlestia gubernet? Monstrum esset, teste Augustino, Ep. 148. ut præcipuus locus gubernatorum ei tradatur, qui remum tenere nescire. Quando navigandum est, non jubetur ad temponem sedere, qui magis gratus, amatus, & aliis charior, sed qui in arte navigandi magis peritus, & exercitatus est. Ecclesia Catholica ingens & vasta triremis est, quæ innumeræ, eásque pretiosissimas, divino Christi sanguine coëmptas vehit animas, & inter has etiam ipsos supremi Navarchi Electores: quantæ foret dementiæ, eligeret & præficere huic navi navarchum ineptum, imperitum, ac vacordem cum evidenti periculo evertendæ navis, & quotquot eâ vehuntur, etiam iplos Electores submergendi!

Certissimum quidem est, Petri navem non posse perire, & everti; certi reddimur Marci. c. 16. Portæ inferi non prævalebunt adversus eam, accipere tamen potest ingenititia hinc inde damna & detrimenta, quæ à luc.

successoribus difficillimè resarciri poterunt: de his strictissima DÉO ratio reddenda erit non solum ab illo, qui ad temonem & clavum hujus navis sedet, sed etiam ab illo, qui suo calculo eum ad clavum evexit, sinistro affectu abstractus, non totius Ecclesiae bonum, sed suum suorumque commoda spectans, & tam sacram, imò divinam Electionem præfixo sibi tam indigno ac profano scopo in detrimentum totius Ecclesiae conspurcans.

O quantum periculum non subit ejusmodi Elector, ne cæcus amor se suamque familiam exaltandi, & ditandi, mendaci colore illum fingat, & depingat tam sublimi gradu dignissimum, à quo plus quam ab aliis sperari potest! annon legatus ille, qui à civitate, vel à Principe missus ad Imperatorem, ad comitia instructus amplissimam potestate, splendidissimo comitatu, magnis impendiis non jam civitatis, principis aut reipublicæ utilitatem, honorem, & commoda, sed sua, suorumque duntaxat curaret, & totis viribus promoveret, sui immemor officii, non solum summo vituperio, sed etiam suppicio, tanquam perfidus Patriæ proditor dignus foret?

Potestas eligendi vicarium Christi in terris, Christo competit, qui hanc supremam dignitatem non suo dilecto Joanni: sed Petro contulit: hæc ipsa potestas confertur Cardinali: qua ergo sinceritate animi, & fidelitate

litate erga Christum, & Christi Ecclesiam par est, ut hanc exerceat potestatem, & calculo suo candido, ac sancto in negotio tam sancto illum denoret, & deligat, quem illimi animo judicat aptissimum, & dignissimum! beneficium sive officium, cui annexa est cura, & custodia animarum, sepositis omnibus spebus & rebus, timoribus, & amoribus, etiam optimorum amicorum, vel etiam armatis potentium precibus, ac comitendatitiis intercessionibus, non alii, quam omnium dignissimo conferendum est, nihil aliud, quam Dei honorem ac gloriam, & utilitatem Ecclesiae unicè spectando: & quid censendum, quando agitur de eligendo Pastorem non paucarum ovium, & angustæ paræcizæ, sed de Pastore non solummodo omnium Christi ovicularum, sed omnium Pastorum Pastore?

Secundum, cui Cardinalis alligatur officium est, ut in partem regendæ Ecclesiae veniat, & summo Pontifici consilio, & auxiliô assistat: ita loquitur Concilium Tridentinum, de Cardinalibus horumque officio agens: eorum consilio apud S. Romanum Pontificem universalis Ecclesiae administratio nititur. *Sess. 25. de Reform. c. 1.* Eousque se extendere debet eorum vigilansia, quo usque se extendit summi Pastoris cura & solicudo; unus idemque limes, & terminus utriusque. Nec Cardinalis suo satisfacit officio, qui

qui redditus Pontificios dextrè colligit & administrat, communi ærario solicè prospicit, Congregationis alicujus piæ proventus fideliter in illius commodum convertit, sed ad longè altiora & ampliora mentem & curas attollat, necesse est; prospiciendum ab ipso totius Ecclesiæ, totius Christiani orbis, utilitati, & prosperitati, cogitandum de mediis, quibus occurrentum hæresi, ne in regnum, vel regionem, vel provinciam aliquam hæc pestis irrepatur, vel ubi jam irrepit, ut iterum expellatur, & ex illis exterminetur; ut partes hac peste infectæ sanentur, sanæ, & nequid infectæ conserventur; qua ratione fides Catholica propaganda, & in regionibus infidelium vel hæreticorum amplianda, ac disseminanda. Sententiam ferre, decidere officium est summi Pontificis, qui à Christo hanc potestatem accepit; Cardinalium est, monere, consilia suggerere, suadere, rationum momenta propone pro temporis opportunitate, negotiorum gravitate, & necessitate.

Scripsit D. Bernardus Epistolam inter suas numero 236. ad totum Collegium Cardinalium; in hac illos commonet, ut Pontifici in duabus præsertim occasionibus omni ope assistant, his verbis: *assistite, & collabore illi ad opus, ad quod per vos assumptus est, quæcumque justæ, & sanctæ; quæcumque amabilia, & bona famæ suggeste illi.* Primum tamen præferendum eit secundo, cùm luce meridianâ

dianâ clarius sit, DEI gloriam & honorem, atque animarum salutem longè majoris momenti & ponderis esse, quæ sit æstimatio, bonum nomen & fama coram hominibus, & mundo.

Si advertat Pontificem propendere in partem sinistram, non adulceretur, nec studio placendi vel metu displicendi abreptus undique conqueratur rationes, vel potius ratiunculas speciosas magis, quam solidas, quibus Pontificis propositum, minus æquum excuset, quin & defendat. Omnes adulatores sunt DEO & hominibus odibiles, nulli tanten magis, quam qui in aulis Principum Consiliariorum munere funguntur. Utendum proin illâ libertate, quam ipsi tribuunt Sacri Canones: *Decet Romano Pontifici per fratres suos Cardinales libera provenire consilia, ut ipsos nibil à veri consilii soliditate dimoveat.* c. fundamenta. de Elect. in 6. Ab hac emitantur declinantibus Consiliariis ipse DEUS minatur: *Va, qui facitis consilium, & non ex me.* Isa. c. 30. *Facienti nequissimum consilium, super ipsum devolvesur.* Eccl. c. 29. Et hac libertate indandis consiliis non tantum privatim, & viritim intra domesticos parietes, sed etiam publicè in Senatu & pleno consessu, utatur, nil Collegarum, Principum, nli ipsius Pontificis veritus præsentiam, licet hanc ipsam sentiendi, & loquendi libertatem commis modestia, reverentiam, quæ singulis & omnibus debetur, redolens, comitari, & con-

condire debeat. Nullum excogitandum
damnum, lucrum nullum tam grande, ad
quod vel evitandum, vel obtainendum fas
sit suô calculô, vel suffragiô sive aperte,
sive tacite approbare, quod reprobandum
judicat.

Nec licitum ipsi erit quoque sub pra-
textu se subtrahere à consilio, quando de
negotio magnimomenti, in totius Ecclesiz,
si non caute, & prudenter tractetur, detri-
mentum cessuro, agendum est; nec hanc
ipsi licentiam concedit justus timor, ne sin-
cerè pandendô mentem & sententiam suam
aliorum indignationem, odium, vel quod-
cunque tandem damnum incurrat; hoc
quidem locum habere posset, si ad hoc pra-
standum sola charitatis vincula te adstrin-
gerent, sed ubi tibi hanc necessitatem im-
ponit ipsum, quod subiisti officium, ipsa te
obligat iustitia, & sine hujus lœsione hoc
onus subterfugere, & à tuis humeris amoliri
non potes.

Nec pro tuto tibi serviet scuto, si dicas,
jam majorem Consiliariorum numerum sen-
tire contrarium; tu fungere officio probi
consiliarii; profer sententiam tuam, eam-
que solidis firma rationibus et fundamentis:
cedent alii priùs non satis perpensæ, nunc
verò declaratz, et clarè agnitæ veritati, et
mutatō judicio palinodiam canent. Sed
Pontifex, dices, mentem jam obfirmavit
in contrarium, molliri tamen, et inflecti
po.

poterit etiam ipsius animus : sic Naaman jam itineri accinctus conceptum re infecta ab Eliseo discedendi propositum mutavit, auditu suorum prudente consilio & suasu: adde, quod non raro ad unius Consiliarii cordatum & intrepidum votum reliqui timidioris & dejectioris animi resumant animos, & sincerius loquantur ; tandem si omnis alius deforet fructus, is foret certus, quod tuo satisfaceres officio, & conscientiae. Interim tamen id semper observandum, ut aliorum suffragiis contemptim, & fastuose tuum non praferas, eluceat ex ipso pacato loquendi modo animi moderatio; absit pertinacia ; sed hanc eliminet prudens animi promptitudo in aliorum, suâ deserta, sententiam concedendi, ubi rationum pondere convictus meliorem, & æquiorem suâ cognoverit : nec enim talis mutatio levitatem, vel inconstantiam arguit, nec viro prudenti dedecori, vel probro, sed potius laudi, ut D. Augustino, vertitur. Non affligatur, nec turbetur, si suum consilium, suam sententiam postponi, & neglegi videat, nam plus damni ejusmodi turbatio, & indignatio affert consilium danti, quam illi, cui consilium est datum, hoc suo exemplo & damno nos docuit Achiphel.

Non raro Cardinali demandatur officium legati vel ad aulas Principum, vel ad expeditiones militares, vel ad regendas pro-

*P,

vin-

vincias, & civitates; perpendendum proin erit, quid ante, quid in, quid post ejusmodi officium faciendum. Antequam huic muneri supponas humeros, hoc nec ambivano ejus splendore allectus; nec subterfuge, aut detrecta ejus arduitate, & variis molestiis deterritus, ne te demonstres avidum, & vanum ambiendo, vel timidum, & vacordem in recusando? etenim si te ipsum ingesseris, & intruseris inconsulta cupiditate incitatus, nonnisi sinister exitus tibi expectandus foret, quippe à DEO non electo, non vocato; aut si humeros huic muneri, & oneri tibi delato ex ignavia, & pusillanimitate substraxeris, Divinæ providentiaz turbares, & everteres ordinem suavissimum. Hæc sensa sunt D. Bernardi: Legatione pro Christo fungi, quoties opus erit, nec iussi renuant, nec injussi affectent. L. 4. de Confid. c. 4.

Post suscepsum legati officium ita suis fungatur partibus, ulterius monere pergit Bernardus, ut rectus & æquus sit in judicando, perspicax, providus in rebus ordinandis, & disponendis, suavis & benignus in jubendo, & minimè imperiosus vel despoticus; summæ industriae in proponendo, efficax & imperterritus in exequendo, cautus, & circumspectus in loquendo, erga omnes comis & affabilis, in adversis non dejectus, in prosperis non elatus; non indiscreti & nimii zeli, nec nimia, & enervis clementia.

mentiæ ; non indulget ignavo otio, nec immoderatae hospitalitati in adornandis, vel frequentandis conviviis, & lautis symposiis, in quibus leges temperantia & decori diligenter servandæ : non inhiet lucro, vel rebus alienis, suarum nec prodigus, nec parcus nimis : in omnibus attentus & circumspectus. Reddat se omnibus acceptum & gratum non solum verbis, sed potius factis, & beneficiis omnes sibi devinciat. Conciliet sibi reverentiam, & auctoritatem non tumido fastu, sed gravitate amabilis, humilis cum humilibus, simplex, & sincerus cum simplicibus & candidi pectoris hominibus, constans & inflexibilis contra refractarios & pervicaces : erga subditos humanus, & amænus, erga Principes intrepidus, & imperterritus, in Divino honore defendendo & augendo ardens & indecessus, in conservandis Ecclesiæ juribus vigilans, moribus illibatis. Non utatur suo legati officio ceu mercatu ad infarciendam crumenam, nec pro opportuna occasione coacervandi pecunias. Nec se sinat inescari, vel excæcari muneribus, vel promissionibus, pretiosis largitionibus etiam Principum ad vendendam justitiam, & auri pondere inflectendam nemesis stateram. Non timeat procerum vel principum minas ; non negligat, aut contemnat plebem, non palpum obtrudat, aut blandiatur divitibus, non durum vel asperum se exhibeat pauperibus :

ribus: tandem, concludit Bernardus, redeat ex sua legatione, fessus ex onere exaltati officii, & pondere gravissimarum functionum, non auri, aut congestarum pecuniarum: *Redeant (verba sunt melliflui Abbatis) fatigati, & non suffarinati, gloriosi, non quod pretiosa reculerint, sed quod reliquerint pacem regnis, legem barbaris, quietem monasterii, Ecclesiis ordinem, Clericis disciplinam, DEO populum acceptabilem.*

Non raro committitur alicujus Cardinalis curæ, & protectioni regnum aliquod, vel religiosus Ordo, vel pius & sacer aliquis locus. Protector alicujus regni, vel provinciæ cordi & curæ habeat non suum, sed regni vel provinciæ emolummentum; assistat Pontifici in eligendis, vel proponendis, acceptandis & confirmandis novis Episcopis ejusmodi regni, eumque sincerè edoceat de Candidatorum aptitudine, doctrinâ, probitate, prudentiâ, nam horum omnium notitiam certam sibi comparare debet; nec se in transversum agi sinat, studiô partium, spe lucri, variis promissionibus, precibus, vel commendationibus etiam coronatis, vel etiam armatis, amicitiis, affectibus inordinatis, nec caro & sanguis in Consiliarios alciscantur. Qui Romam veniunt ex Regno, vel provincia suæ tutelæ commissa, Romæ portum inveniant, & habeant semper patulum & tutum in suo non tam palatio, quam sinu, cōsque ut filios charitate paternâ

ternâ amplectatur, foveat, suo consilio & patrocinio in omnibus juvet, dirigat, & protegat.

Si protectorem agat Religiosi alicujus Ordinis, caveat, ne se in regimen ingerat ejusmodi Ordinis: non sibi arroget potestatem constituendi, vel deponendi superiores, vel alia officia distribuendi, vel Monasterii subditos non tantum Religiosos, sed etiam seculares, ceu oeconomos, officiales, praefectos mutandi, assumendi: multò minus Regulas, Constitutiones, consuetudines talis Ordinis variandi, corrigendi, vel interpretandi. Vastum ostium aperiret discordiis & tumultibus in totius Ordinis perniciem, si dyscolis, disciplinæ Religiosæ impatiens, contra suos superiores insurgentibus, & jugum excutientibus tutum asylum præberet, & scutum: nec aliorum pro ipsis intercessiones, interpositiones pro conciliatoribus, facialibus, & pacificatoribus se offerentium facile admittat; nec faciles, pronasque aures ad se recurrentibus, & contra suos superiores conquerentibus præbeat, nisi totum Monasterium id confirmet, & opem imploret debito modo & ordine.

Si quem subinde defectum detexerit, cureret ut remedium aptum adhibeatur, & emendetur, sive per superiores locales, qui certis monasteriis, sive Provinciales, qui integræ provinciæ, sive Generales, qui in-

P 3 tegro

tegro Ordini prælunt; si horum omnium vires superet pertinax malum, extra Religionis limites validior quærendus erit medicus, qui sit ipsem et protector; applicet proin medicinam etiam acerbiorem, si opus sit, non tamen juxta sui solius arbitrium, & judicium, sed juxta Regulas, & institutum talis Religiosi Ordinis, nec sibi arroget potestatem non competentem: nec officium protectoris crediderit esse beneficium aliquod Ecclesiasticum, ex quo certos preventus percipere liceat; primâ statim fronte agnoscer, quantum dedebeat Cardinalem, protectorem purpureo porrecto pileo munera vel honoraria sollicitare, vel acceptare ab illis, quos scit aucto Religiosæ paupertatis vinculo ac voto adstrictos esse: quin ipsis suis aulicis, domesticis, vel famulis serio veter, & interdicat, ne quid munerum, vel donorum ab ejusmodi monasteriis, multò minus ab uno vel altero Religioso singulatim, cum nullus ex his sine violatione Deo juratae paupertatis pro lubitu suo possit disponere de re ulla, etiam minima, exigant, sed nec ultro oblatum accipient.

Hoc ipsum dictum esto de Collegiis, seminariis, sodalitiis, aliisque locis piis & sacris, quibus protegendi sunt præpositi; persuasum habent, sibi eandem cum tutoribus, vel Curatoribus orphanorum & pupillorum incumbere necessitatem, nimirum ut non in proprium sed unicè in pupillorum, fidei sua-

com-

commissorum, commodum intenti sint, & omnia eorum studia, & curæ huc colliment: meminerint, sui officii, suarum partium esse invigilare ipsorum incoluntati, ipsos tueri contra inimicos externos, impedire tumultus & seditiones internas, sive domesticas, agere ipsorum negotia etiam coram tribunalibus, vel ipso Pontifice, imperterritè se opponere etiam principibus & regibus, si quid juribus vel privilegiis horum locorum contrarium petant, vel exigant.

II. Ut Cardinalis in sublimi super alios eminet gradu, ita morum vitæque probitas, ac reliquæ virtutes ejus omnes communī gradu minimè contentæ, super aliorum etiam Episcoporum omnes emineant, easque plurimūm transcendant, necesse est: sic docet S. Antoninus P. 3. tit. 21. c. 2. & Cardin. Turcremata L. 1. Eccles. c. 81. cùm eò sublimior, & perfectior sit status sive gradus Cardinalius, quam dignitas, & gradus Episcopalis, quò plus æstimabile est bonum universale totius Ecclesiæ, & præferendum est bono particulari unius vel alterius Ecclesiæ, ideo ad curandum illud eligitur, & constituitur Cardinalis, ad hoc deputatur Episcopus; hinc Cardinalis ad hanc Eminentissimam evectus dignitatem, sicut in cultu externo majorem splendorem & ornatum induit; ita pro habitatione conductitur ipsi palatium splendidum. vestes laneæ mutantur in purpureas, in byssinas, parietes

P 4 vesti-

vestiuntur pretiosis peristromatis, abacus, mensa oneratur, & ornatur vasis argenteis, supellex domestica tota non tantum est speciosa, sed etiam pretiosa, familia domestica, famulitium ad obsequia novi purpurati paratur, & augetur. Non minor debet esse cura innovandi & augendi cultum interioris domus, nempe animi cogitationes, affectus animi sublimiores, spiritus generosiores, consilia excelsiora, heroicæ, semper ad altiora, ad majorem Dei gloriam ad Ecclesiæ splendorem augendum, ejusque limites dilatandos tendentia, & Eminentia vocationis suæ respondentia.

Legitur in sacris Litteris DEUM in nube de cœlo delapsum ita spiritum Moysis in septuaginta illos viros, quos ipse Moyses elegerat, & assumpserat in comites, & adjutores ad regendum populum Israëliticum, divisisse, ut hoc repleti statim inceperint vaticinari, & prophetare, quin unquam postea hoc spiritu propheticō fuerint destituti, qui alius non erat, ut Abulensis explicat, quam spiritus laudandi, adorandi & colendi DEUM: *Prophetaverunt, nec ultra cessaverunt.* Num. c. 11. Septuaginta hi viri, quibus duo alii accesserunt, figura, & prototypon fuerunt Collegii Cardinalitii ex septuaginta duobus viris, pariter ut auxiliarem operam summo Pontifici in gubernanda Ecclesia conferant, electis conflati. Simili proin sacrâ metamorphosi in alios & me.

meliores viros & ipsi mutari deberent, quām
primū ad Cardinalitiam dignitatem sunt
eveсти.

Sed ut ad virtutes particulares descenda-
mus, quæ, amabo, Cardinalibus magis
propriæ sint, quām quatuor virtutes Car-
dinales, ideo hoc nomen sortitæ, quod
supra has, tanquam totidem firmissimos
cardines, Christianæ vitæ periodus volva-
tur, & gyretur?

Initium faciamus à prudentia, virtute tam
propria Cardinali, & necessaria, ut hac
destitutus, officio consiliis suis assistendi
Romano Pontifici nullatenus satisfacere
possit. Prima & summè necessaria dos cu-
jusvis Consiliarii est prudentia: Ita S. Tho-
mas: *bonum consilium dare spectat ad prudentem.*
2. 2. q. 47. n. 2. O. Longè autem magis opor-
tebit prudentem esse illum, qui in gravissi-
mis, & summi momenti negotiis consilium
suppeditare debet; sunt autem negotia, li-
tes, controversiæ vel dubia, quæ in tribu-
nalibus, dicasteriis, & Consistoriis jussu &
auctoritate Pontificis trutinanda, discuti-
enda, & decidenda sunt, ejus generis, quæ
vel totum Christianum orbem, vel magnam
ejus partem tangunt; hic enim verò necesse
est, ut Cardinalis consultus accuratissima
lance ponderet in utramque partem tam
commoda, quām incommoda, tam emol-
lumenta, quām detrimenta hinc vel inde
oritura, ne si sua consilia deinde minus pro-

*P 5. spe.

Iperum sortiantur exitum, se frivola excusatione tueri cogatur: non putabam; hoc non prævidi.

Prudentia docet, & dictat, ut sit cautus & circumspectus & minimè præceps, aut inconsideratus in loquendo, in credendo, & adhibenda fide, in promittendo, concedendo; paucis, ut semper vitet extreum, & nec ad dextram, nec ad sinistram declinet. Ante omnia horreat & fugiat falsam prudentiam veræ & genuinæ simiam, quæ vocatur prudentia politica, humana, mundana, & re ipsa, teste D. Thoma, est prudentia carnis, consistens in dexteritate scitè texendi fraudes, dolos, astutias, decipiendi, circumveniendi homines; in immodica sollicitudine, & cupidine insatiabili coacervandi bona temporalia: hæc pseudopolitica prudentia vivis coloribus depingitur à D. Gregorio l. 10. Mor. c. 16. Hujus mundi prudentia est, cor machinationibus tegere, sensum verbis veclare; quæ falsa sunt vera ostendere; quæ vera sunt, falsa demonstrare &c. plura ibidem de hoc ipso argumento legi possunt. Longè alios fructus profert vera, genuina & Christiana prudentia; hos loco citato explicat D. Thomas, docens hujus prudentiæ officium esse, apta feligere media ad finem præfixum obtinendum, finis autem verus, & omnibus hominibus præfixus est æterna salus; præter hunc finem omnibus communem, & ultimum, sunt alii fines intermedii quodammodo,

modo , & intercalares, pro cuiuslibet statu & conditione, qui tamen omnes tandem ad ultimum referendi sunt. Sic finis Cardinalis juxta suum Consiliarii officium est, ut Ecclesiam, hujus gloriam, & emolumentum conservet, augeat, & amplificet; ut fidem Catholicam dilatet, propaget, viribus, & studiis omnibus foveat, & propugnet.

Præstantissimus prudentiæ suæ genuinæ partus erit, excogitare & applicare ad hos fines obtinendos apta media; nullo autem modo, sua venari commodi, suam quædere utilitatem, honorem proprium, suam promotionem, sui nominis splendorem, adulando, fingendo, mentiendo, & his artibus se in gratiam Principum insinuando. Procul à se arceat veræ prudentiæ impedimenta; procul sint indomitæ affectiones, seu passiones, quæ obfuscant, vel omnino excæcant intellectum; cæci & præcipites animi impetus, qui matura consilia de futuris prævertunt, & evertunt; procul obstinatus in sua sententia animus &c. hæc enim omnem sanioribus consiliis, & adhortationibus aditum præcludunt.

Ad consecutionem hujus virtutis enitendum est per maturam considerationem, quid agendum sit; ne quid suscipias, vel patres, cujus dein te pœnitere possit. In animum & memoriam revocanda sunt tua & aliorum acta, & ausa, & examinandum, cur bonum & optatum, vel è contrario, cur si-

sinistrum, & infelicem exitum sint sortiti; sic magnam rerum experientiam, prudentiam matrem, vel sociam acquires: cura ut exatam tibi compares notitiam Regionis, in qua degendum est, & incolarum, cujus sint indolis, naturae, propensionis tam ad virtutes, quam ad vitia; ut iis ad illa possis uti officia, & obsequia, etiam ad Pontificem & in aula Pontifica, ad quae illos noveris idones, & aptos.

Justitia virtus est principibus omnibus propria, tamen speciali ratione & propria, & necessaria est principibus Ecclesiasticis, quos inter primi ordinis sunt Cardinales, licet enim isti nullos habeant subditos, & sibi subjectos, quibus jus dicant: prout habent Episcopi, possunt tamen varie contra justitiae leges impingere: graviter contra hanc peccarent, si silentium, & secretum summo Pontifici promissum & juratum violarent.

In Apocalypsi adumbratum invenimus Collegium Cardinalium, & purpuratos Patres per venerabiles illos senes D. Joanni in extasi objectos, qui thronum DEI circumfidentes coronabant; nullum ex his uberrimae, & ferventissimae Joannis lachrymae permovere potuerunt, ut clavum arcte, & tot sigillis obsignatum librum aperiret, contestati non suum, sed agni officium esse, librum tam arcte obseratum aperire. Nec hic solus, sed plures alii sunt scopuli, in quos

quos illidi potest Cardinalis alicujus justitia; si annuat, & suo calculo suffragetur injustis regum vel principum petitis; si ad beneficia Ecclesiastica proponat, & promoteat indignos, vel minus dignos exclusis longè dignioribus; si suo nomine, & propria auctoritate vindictam sumat verbis, vel factis, quæ longè acerbior est, de illis, qui sibi aliquam injuriam, vel aliquod damnum intulerunt, vel se & suos aliter offendunt; si protegat, & defendat homines facinorosos, & humanæ Republicæ noxios, & pacis perturbatores; si operariis, si suo famulitio debita salario, stipendia, vel mercedes non exactè persolvat; vel si eos ad pingue aliquod beneficium evehat, aut promoteat, & loco debitæ solutionis computet; si consentiat, & approbet, ut sacræ sedis subditi nimis, & injustis exactionibus premantur; si munera admittat, quæ judicium animos excæcare, & in proximum periculum trahere solent, ne præponderante affectu, causæ iniquæ faveant, & assistant.

Fortitudo quoque virtus est magnis, & generofis animis propria, & congenita, ut e contrario ignavia vitium est vilibus & abjectis mentibus insitum. Deforet suo officio & huic virtuti, si in arduis casibus, & emergentibus difficultatibus, ubi de circumcidendis, vel omnino excidendis, & supprimendis Ecclesiæ juribus, privilegiis, &

in mu-

immunitatibus agitur, animo caderet, & ignavo metui succumberet, hic enim vero opus est animis & pectore firme, intrepido, & invicto, ita ut sibi gloriæ duceret, si ad conservanda, & defendenda jura Ecclesiæ non tantum facultates sed ipsa etiam vita foret profundenda.

Pari fortitudine resistendum importunis, & armatis precibus illorum, qui authoritate, & potentia etiam Regiam instructi te arietare non desinunt; nec gradu suo eminentissimo inferior sit animi magnitudo, qua despiciat, & contemnat, quidquid periculi imminent faciendi jacturam honoris, divitiarum, vel etiam vitæ; spernat linguis maledicas, calamos satyricos, infames libellos, principum indignationes, & aversiones animorum; obarmet animum impenetrabili hujus virtutis scuto, & non habebit, quod timeat, etiamsi mille adversitates concurrant, vel cœlum ipsum corruat, impavidum ferient collapsi rudera mundi.

Summè tamen, & præ omnibus aliis virtutibus Cardinali videtur necessaria temperantia, quæ in homine regit & moderatur appetitum voluptatum sensibilium; hæ autem percipiuntur gusto, & tactu; cum viuum oppositum, nempe intemperantia, sit sordidum, turpe, & irrationalibus, viliissimisque animalibus proprium, & hinc Cardinali Ecclesiæ Principi extreme probolum, cum

cum tamen maximum Cardinali immineat periculum, ne in hos scopulos illidatur, ob largos proventus & divitias, quæ plerumque hunc sublimem statum comitantur, deliciarum vehementia irritamenta.

Limites hujus virtutis, in quantum ipsius officium est refrænare, & cohibere gustum, planè excederet, si quotidianam mensam semper instrueret nimis lautam, cibis oneraret nimium delicatis cupediis, cocturis Apicianis, si diversi generis vinis, phalernis pretiosissimis, externo non tantum coloris, sed etiam saporis nectare spumarent pocula; si ciborum missus nunquam finem acciperent. Sit equidem mensa Cardinalis laetior, quam aliorum Ecclesiasticorum, & status ac personæ dignitati congrua, non indecorè parca, & sordidè jejuna; non tamen ad ostentationem vanam, ad luxum, & prodigalitatem: hanc semper comitetur, & condiat modestia & frugalitas Ecclesiastica: utatur cibus, ut vestibus, quibus se tegit, non multis, & nimiis aut nimis pretiosis, ut penum suam vestiarium illis opplere, & infarcire possit, sed quot decor & necessitas exigit.

Procul absit à sua mensa effusa loquacitas, effrænis libertas petulantis linguæ, nec convivarum ullus ausit insultis salibus, sordidis jocis eam conspurcare, vel profundiùs absentum famæ, quam præsentibus cibis mordaces infigere dentes: verbô, obser-

van-

vandus erit Canon ille: in omni sacerdotali con-
vivio lectio divinarum scripturarum misceatur. C.
pro reverentia. d. 44.

Alterum vitium temperantiae in quantum
hæc carnis voluptatibus limites ponere, &
fræna injicere debet. longè magis, & è
diametro oppositum, est incontinentia,
& cœca in fœtentes, & brutales illecebras
effusio; hæc turpitudo propudiosa quantum
dedebeat purpuratum sacerdotem, & Eccle-
siaz Principem, facile agnoscer quivis, nisi
qui hoc sordidissimo luto penitus excæ-
tus, in brutum suo modo transierit. In
eiusmodi Cardinalem quadraret amara illa
exprobratio Davidica: *cum in honore esset,*
non intellexit; comparatus est jumentis insipientibus,
& similis factus est illis. Psal. 48. De vitio tam
fœdo, & probrolo sat dictum jam est in
consideratione duodecima; hinc plura non
videntur hic addenda, præsertim cum tutò
credere fas sit, sacram purpuram à nullo,
qui eâ induitur, tam fœdis maculis detur-
pandam.

III. In summum violandi sui officii peri-
culum Cardinalem conjiciunt terni, nisi re-
frænentur, indomiti affectus animi. Pri-
mus est, nimius amor consanguineorum.
Secundus, nimius amor divitiarum. Terti-
us, nimius amor dignitatum, & hono-
rum.

Ex primo fonte, si non sit illimis, &
defæcatus, si sit nimis largus, profluere pos-
sunt

sunt variæ fordes, quas juvat indicare: induci potest, ut suorum nepotum vel consanguineorum præfidentiam, vel violentam præpotentiam, qua alios inferiores patrui vel consanguinei patrocinio freti opprimunt, protegat, & tueatur: ut eos ad beneficia, & Ecclesiasticas dignitates promoveat, quamvis indignos, vel certè hos aliis candidatis longè dignioribus præferat; ut eos ad altiorrem statūs & nobilitatis conditionem evehat, & in hunc finem divitiis cumulet, ære sacro, Ecclesiastico, ex beneficiis profluentे ipsis coëmat feuda, fundos, dynastias, toparchias, arces, palatia vel hæc extruat, & magnis sumptibus ædificet.

Si omnis Clericus obstringitur in usus pios, & sacros expendere, quidquid ex preventibus sacris honestam, & statui suo congrua sustentationem superat, longè arctius hæc obligatio stringet Cardinalem in longè eminentiore loco, & super candelabrum, ut omnibus, qui in domo DEI sunt, luceat, & exemplo præluceat, posicium? Non tamen tam arcta, & stricta est hæc obligatio preventus ex beneficiis omnes in pios expendiendi usus, ut Cardinalis ex his nihil suis consanguineis elargiri possit: poterit his etiam si alias jam divites, & opibus abunde instruti sint, elargiri, quidquid ex congrua sustentatione sibi detraherit, & comparsiterit: longè magis, & longè plura in hos ex ejusmodi religiosis redditibus derivare

* Q. poterit

poterit, quando pauperes, & juxta suum statum indigi sunt, etiam ex superfluis, ut dignitati Cardinalitiae sint honori, & non dedecori, dummodo caveat, ne illos ultra decentiam suae conditionis suorum natalium nimis elevet, ditet, & impinguet.

Divitem esse Ecclesiasticum saecularem, nequaquam vitio, aut probro vertendum est, dummodo binos devitet scopulos: primus est inordinatus amor, & tenax cordis adhæsio ad divitias, ut has suam credat in terris beatitudinem: *non census in criminе est, sed affectus.* Greg. Mor. 10. c. 77. Habet & possideat Cardinalis divitias, modo caveat, ne possideatur ab ipsis: *divitiae, si affluant, nolite cor apponere.* Psal. 61. Non eas pluris aestimet, & præferat omnibus hujus mundi bonis, tanquam maximam, & primam inter hujus vitæ felicitates; ostendat non tantum probè intellectisse, sed insuper altè animo impressisse primam ex octo beatitudinibus: *Beati pauperes spiritu.* Matth. c. 5. Memineris, quid in ipsa janua, cum in statum Ecclesiasticum pedem intulisti, dixeris, & promiseris, nimirum te solum Deum pro parte & portione hereditatis tibi debitæ, habiturum & accepturum; hoc solo contentum fore: *Dominus pars hereditatis meæ, & hereditas mea præclara est mihi.* Ps. 5.

Non sinat sibi venire pedem superbiæ, nec infletur ob divitias, sed potius timeat, ne hac tem-

temporalis felicitas sibi eripiat, vel saltem
imminuat, & arrodat æternam. Cœcus,
& immodicus auri argentique amor multo-
rum errorum, & culparum causa, & radix
esse potest, nunc quidem injustitiae, cùm
concidere, & suis sepeliri ruinis, vel fun-
dos beneficiorum exscindi, silvescere, &
sterilescere sinit, ut parcat expensis; alias
cùm differt, vel omnino defraudat, &
denegat mercedem operariis; nunc in ava-
ritiæ sordes detrudit, cùm plura querit,
coacervat, vel saltem admittit beneficia,
quàm ratio, & conditio sui statûs exigat;
modò præcipitat in turpem tenacitatem, ac
parsimoniam, in celebrandis variis contracti-
bus, quam functionem oportet demandare & relinquere suis Ministris, in litibus vel
incipiendis, vel finiendis, quæ omni ratio-
ne devitandæ, & oblata quacunque hone-
sta, & tolerabili conditione, vel satisfactio-
ne componendæ, per amicam transactio-
nem abolendæ, & extinguendæ forent: In
conficiendis ratiociniis, munus hoc œcono-
mo relinquens, contentus, hæc sibi ob-
lata lustrare & examinare, non tamen ni-
mis districte, nec nimis anxie ac sollicitè;
defectus, si quos deprehenderit, notare, ut
emendentur. S. Bernardus Episcopum, &
longè magis Cardinalem ita alloquitur:
quid turpius. quæm incumbere supellestili, & sub-
stantia sue scrutari omnia; sciscitari de singulis,
moveri ad quæque perdita, vel neglecta. l. 4. de Consid.

*Q 2.

Alter

Alter scopulus in divitiarum, & opum usū
cautè fugiendus, est prodigalitas, nimirum
ne in luxum, in expensas inutiles, vanas,
& superfluas profundantur, & dissipentur.
Concedenda quidem & attribuenda sunt
Cardinali ea omnia, quæ ad pompam, &
moderatam majestatem characteri, & offi-
cio suo competentem conferunt, & neces-
saria sunt; sit supellex Ecclesiæ Principe
digna; sint equi, sint currus congrui; sit
familitium numerosum, ritè instructum,
vestitum decorè; conducantur servi justis
stipendiis, & hæc iisdem statu tempore ex-
actè solvantur; mensa ipsis paretur non
parca, & jejuna nimis: cavendum tamen,
ne splendor ac decor justus in fastu tumi-
dum, & exorbitantem luxum degeneret,
genuinus splendor, & nitor Cardinalitæ dig-
nitatis in eo situs est, ut liberales eleemo-
synas dispenseat, & pauperes magis, quam
muros, & parietes vestiat; ut erigat, vel
dotet xenodochia, & domos hospitalis ad
excipientes, & alendos peregrinos, homi-
nes miseris, & omni ope destitutos; semi-
naria, convictus ad instruendos, & educan-
dos juvenes, vel Clericos, præsertim suæ diœ-
cesis, gentis vel patriæ; ut fundet certa ac sta-
bilia stipendia annuatim in pauperulos stu-
diosos, orphanos, puellas aliquid artis ad-
discere cupientes, exactè distribuenda; ut
templa extruat, restauret, exornet, ad
augendum cultum divinum; ut Monasteria

ædi-

ædificet, in quæ se tanquam in securos portus ex periculoso mari hujus mundi præprioris periclitantes virgines recipiant.

Ultimus sinister, & immodicus affectus est, quo ambiuntur, & quæruntur honores, ac dignitates. Non vituperio, sed laude dignum est, si Cardinalis suo gradu debitum honorem, & reverentiam exigat, & integrum illæsamque cupiat: sed in hoc nimis delicatum, sensibilem, & superstitionem esse, ita ut ad minimum tactum, vel levissimum verbulum, instar montis Ætnæ fumiget, exardescat, & in fulmina, vel sulphurea flumina prorumpat; ad minimum defectum, vel neglectum debiti obsequii, & respectus excandescat, mille diras contra offensores evomat, nescio quas deprecationes, & demississimas putatitiae injuriæ, vel levissimi erroris revocationes in compensationem deposcat; si grandi superciliosum semper incedat, & omnia præ se despicer videatur; si semper ad majora & altiora eniti, & eluctari conetur. Hi, similisque affectus, cogitatus, & desideria non videntur defæcata, innocentia, & omnis macula, ac labis expertia.

Pronum est, ut ille, qui proximus est supremæ, quæ in Ecclesia, imò in terris inventur, dignitati, ad hanc evehi desideret. Eiusmodi credat, & habeat pro re indubitata, illicitum, & vetitum esse, regnum, sive summum Pontificatum ambire,

Q 3. quæ:

quærere, & sibi quacunque tandem viâ, rectâ vel obliquâ, per se, vel per alium procurare. Ita docet S. Antoninus. P. 3. tit. 21. c. 2. Audiat mentem D. Thomæ, quā n ita ferè explicat 2. 2. q. 185. art. 9. Vel hoc tuum desiderium sibi pro scopo, & fine præfixum habet illum ipsum scopum & finem, propter quem Christus ipse in sua Ecclesia instituit & exiit supremum Pontificiæ dignitatis apicem, suum Vicarium in terris, & summum Pastorum omnium Pastorem? finis à Christo intentus, alijs non est, quām ut fideles bene regantur; ducantur ad salubria pascua; defendantur contra lupos, ut consultum, & prospectum sit Ecclesiæ; ut promoveatur salus animarum. Vel è contrario desiderium istud excitatur, & accenditur à splendorē supremi hujus honorum culminis, & illimitata potestate clavum à Christo tradita Petro? vel ad se trahunt tua suspitia, & ardentia studia, divitiæ amplissimæ, commodorum omnium abundantia, venerabunda illa, & ad pedes usque demissa totius Catholicæ orbis adoratio, quæ omnia sunt splendidissimæ appendices sublimissimæ hujus dignitatis? si priori modo, & primum spe. Etans finem desideras, & aspiras ad Pontificiam sedem, ac solium, desideras sanctum & bonum opus, sic loquitur Apostolus: qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. I. ad Tim. c. 3. id est, interprete S. Hieronymo: opus, non dignitatem; laborem, non deliciam.

cias. Ep. 83. ad Ocean. vel prout explicat S. Joan. Chrysostomus in suo opere imperfeto: Opus desiderare in se bonum est, primatum honoris concupiscere, vanitas est. Homil. 35. In Matth.

Ut autem tale desiderium etiam ex bono fine, & legitimo impulsu ortum, ab omni scoria purgetur, necesse foret, ut quis se agnosceret non tantum tam sublimi dignitate verè dignum, sed omnibus aliis digniorum, nullumque ex cæteris omnibus æqualiter dignum esse; certus esse deberet, hoc suum desiderium ex puro zelo promovendi honorem divinum, & bonum Ecclesiæ Catholicae provenire & hoc unicè, nihilque aliud, ne minimum quidem commodum proprium, aut honorem spectare. Quis autem ex Cardinalibus sit, qui prudenter possit certò credere, sibi uni has dotes omnes inesse? itaque vix, & ne vix quidem fieri poterit, ut quis desideret, & quærat concendere cathedram, & solium S. Petri, quin se reum faciat superbiz, turpis ambitionis, præsumptionis, vel lordinæ avaritiz. Hoc probè agnovit D. Augustinus, cum de sublimibus dignitatibus, quas in Ecclesia Catholica reperire est, ita loquitur: Locus Superior, sine quo populus regi non potest, et si ita administretur, ut decet, tamen indecenter appetitur. L. 19. de civit. DEI. c. 19.

Placeat jam dictis adjungere maxima, & plurima salutis propriæ pericula, quibus su-

Q 4 prema

prema hæc potestas, & dignitas stipatur; quam periculorum, & proclive est, ne in tam sublimi apice sedenti typhus superbiz caput vertigine rotet; ne divitiarum copia ad sybariticæ delicias inclinet, animumque enervet. ne in molle otium, & torpidum neglectum tam vastæ, & arctæ simul vigilantiæ toti orbi debitæ inter tot, & tam momentosa negotia ad omnem æquitatem, & justitiæ apices confienda, & decidenda, abripiat! hinc meritò concludendum est, desiderium se exponendi tot & tam præsentibus periculis sine culpa nequaquam concipi posse.

De sancto Pontifice Pio quinto narrat Cornelius à Lapide in suis commentariis in Apocalypsis caput tertium, eum solitum suisse dicere, cum essem Religiosus, de mea salute sperabam quam optimè; cum ad dignitatem Cardinalitiam elatus fuisse, de salute mea timere, & dubitare incepi; cum dignitatis Pontificiae supremum gradum descendere compulsus fuisse de salute mea penè desperare cœpi.

D. Gregorius L. 1. Epist. 39. respondens Carthaginensi Episcopo, qui Gregorio suam ad D. Petri solium electionem gratulatus fuerat, ait, longè aliter se de dignitate Pontificia sentire, & judicare, ac ipse, cum se, non alios premeret gravissimum tot obligationum pondus suis humeris impositum, cum ipsi incumberet rationem reddere di-

strictis-

strictissimo judici DEO de omnibus. totius Christiani orbis animabus suæ curæ, & custodiæ commissis.

Non ita applausit, vel gratulatus est S. Bernardus suo Eugenio in summum Pontificem assumpto, ita ad eum scribens: *considero gradum tuum; & easum vereor: attendo celsitudinem honoris; & periculum reformido: aliorum locum sortitus es, sed non tutiorem.*

Ep. 237.

Hæc sola cogitatio profundiùs in animum admissa, omnem Pontificiæ thiaræ ambitum radicitus evellere deberet; nec defunt, quæ hoc ipsum suadeant, humana argumēta. Quot, & quam magnæ molestiæ, & adversitates incumbunt summo in sacris auctoritati, sive Pontifici; ita ut non aliter Christi Vicarius, quam ipse Christus positus videatur in signum, cui contradicatur, in metam, in quam perfidus mundus, & juratus hostis orcus sua tela ignea evibrent? Quid non preferendum, & tacito stomacho concoquendum est à Regibus, Principibus, à plebe, ab hominibus privatis, & particularibus, quorum desideriis, & petitionibus sèpè inter se pugnantibus, & in contraria tendentibus responderi & satisfieri nequaquam potest; quot querelis, calumniis, murmurationibus, satyris aculeatis, maledicarum linguarum, & calamorum felle tinctorum venenatis morsibus est expōsus? siquidem suo officio ritè erga omnes

•Q s. fun:

fungi, inconcussam in bono constantiam,
& invictam animi fortitudinem, ac magnitudinem toti orbi demonstrare velit.

Sed hæc mala sunt, quæ primùm toleranda erunt, quando ambitiosis suis votis potitus Petri solium concenderit; vix minora sunt, quæ purpureo Candidato nunc sufferenda, & ferreo stomacho digerenda sunt: serviendum est omnibus suis Collegis Cardinalibus, cavendum, ne vel minimo verbulo aut nutu offendantur, intermitienda non pauca, quæ alias facere placeret, & deceret, ne displiceat: captare oportet favorem & amorem illorum, qui Cardinalibus in amore & confidentiores sunt; serviendum est Principibus & horum Ministris, ut hos sibi conciliet, & devinciat; verbò, ipsis servis abjectè serviendum, ut hac ratione ambitio, & dominandi væsana cupidio omnium mancipium efficiat ambitiōsum Cardinalem.

Parænēsis

Ad perseverandum in bene cœptis.

Fluvius Acis tam Historicorum quam Poëtarum calamis celeberrimus ex ipsis ardentis Æthnæ visceribus prostrum pens, tam limpida, illimem, & frigidam uahaquam,

ut

ut huic nec minimum quid temporis, aut fuliginis atræ affricari sinat ab acutissimis igneæ illius fornacis flamarum vorticibus, quibus tamen durissimi silices, & marmore duriora ac solidiora metalla, ita excoquuntur, ut liquefacta in molles diffluant rivulos: crederes, eum sua incunabula, & originem debere nivoso alicui Caucaso vel hyperboreo Carpatho, non adusto Vesuvio, vel Æthnæ. *A cin, quamvis missum Æthna, nullus amnis frigore antevertit.* Solinus c. 53. Hoc annumerandum est miraculis naturæ, sicut annumerandum est miraculis gratiæ, quod tres pueri in fornace Babylonica medias inter flamas illæsi, & ne minimo quidem capillò deperditò, aut ambustò, velut in ameno borto deambulavent; si qui autem ex octiduana Ignatianæ Alceseos solitudine sacra tam frigidi & tepidi prodirent, quam se in hanc reeperunt, in qua pene innuferi solutâ cordis glacie in Seraphinos mutati fuerunt, miraculum foret diabolicum humanæ malitiæ.

Palmarem vobis injuriam inferrem, si crederem, vos per totum hoc octiduum, quod piis commentationibus impendistis, nunquam incaluisse, nulla unquan ardentia concepisse desideria seriò imposterum serviendi DEO; salvandi animam, & hujus salutem in tuto collocandi. Totius rei cardo in eo vertitur, ut bene cœptis constantia, & perseverantia non desit; non enim

enim coronatur principium, sed finis, non
bene cœpisse, sed in bene cœptis perdurâsse,
& perseverâsse laudandum, & æstimandum
est. Non qui bene cœperit, sed qui perseverave-
rit usque in finem, hic salvus erit. Matth. c. 14.
Hæc per everantia ad consecutionem salu-
tis necessaria, est donum DEI merè gra-
tuitum, quod justō meritō, ac de condig-
no non quidem obtainere, de congruo ta-
men per preces, aliâque pia opera impetrare
possimus.

Si ex me quæras, qua ergo incedendum
viâ, quæ sint illa pia opera præmitten-
da, quibus præparandus animus, ut aptus
reddatur ad accipiendum tam nobile, &
preciosum donum: audi, quid respondeat
Apostolus 2. Tim. c. 2. *Non coronabitur, nisi
qui legitime certaverit.* Dux decretoriam ini-
turus pugnam, quâ glorioſa victoria obtinean-
tur, & bello optatus imponatur finis, hæc tria
observe, necesse est: Primo ut se diligenter
obarmet, & aptis instruat armis. Secun-
do, ut fortiter resistat, hostibus intrepidè
obviet. & arduâ fronte occurrat. Tertio,
ut nôrit suo tempore, ubi opus est, cautele
& prudenter receptui canere. Hæc ipsa
sunt, quæ tibi, ut victoriam, & coronam
æternam referas, observanda erunt: Im-
primis ut pectus obarmes frequenti Sacra-
mentorum usu; deinde ut resistas fortiter
in fide telis igneis diaboli, id est vitiis, pra-
vis habitibus, & consuetudinibus invetera-
tis:

tis: tandem ut prudenter & cautè fugias faciles ad malum occasiones; ubi merito illud pœnalis loco cani potest; in fuga salus. Hæc sunt tria media, quibus si diligenter usus fueris, facile ac certò obtinebis dominum perseverantiae, & huic indissolubiliter connexam coronam gloriae, omnibus usque ad finem perseverantibus à DEO super sidera pœparatam.

I. Primum igitur ex modo propositis mediis est, ut tibi prospicias de armis præstans, aciei limatissimæ; scuto circumdabit te veritas ejus, cum tibi prodeundum erit in prælium. Hostes tui plurimi sunt numerô, astutiâ, dolis & fraudibus instructissimi, viribus potentissimi, interni, & externi, invicem foederati, & in perniciem tuam conjurati, in id ante omnia collimantes, ut de spoliis hoc octiduo sibi detractis iterum exuant, & ex arce illa, quam armatâ, & fortissimâ ipsi extorsisti, te rursus deturbent: ut ergo horum conatus cludas, & vires atque assultus infringas, arma cape omnium validissima, divinis pte mysteriis fidei sive Sacramentis; hæc quidem omnibus Christianis proprias sunt, & necessaria, nullis tamen aliis magis, quam Viris Ecclesiasticis, Religiosis, ac Sacerdotibus, qui altari deserviunt; ipsimet hæc arma conficiunt, & aliis subministrant. Si saepius animæ maculas sacrâ exhomologest expiaveris;

¶

si sæpius Eucharisticæ mensæ accubueris, & pane fortium te refeceris, senties tibi robur & vires addi ad alacriter currendum in via, quam ingressus es, & cursum feliciter consummandum.

Solido nititur fundamento hæc assertio communi Theologorum sensu stabilita, & ab ipso Doctore Angelico confirmata hac ratione: quodlibet Sacramentum ex institutione, ac natura sua confert gratiam Sacramentalem, quæ gratiæ sanctificanti superaddit specialia aliqua auxilia, ad finem Sacramenti specialem consequendum adaptata: verba illius sunt: *Gratia sacramentalis addit super gratiam communiter dictam quoddam divinum auxilium ad consequendum Sacramenti finem.* S. Thomas 3 parte quest. 62, art. 2. Non crediderim te tam leviter Theologicis disciplinis, ac placitis statui Ecclesiastico tam congruis, & necessariis tinctum, ut hæc non facile intelligas: ut tamen magis adhuc dilucentur, descendam ad singularia, & clara exempla.

Finis Sacramenti sancti Chrismati sive Confirmationis est homini Christiano novum robur addere, ut intrepidè, & depulso omni metu liberè Christum, & ejus fidem semper & ubique corde & ore profiteatur & confiteatur; hinc ultra gratiam habitualem sanctificantem confert speciale robur & auxilium, quo adjuti etiam coram tyrannis imperterritè declaremus, nos sub vexillo Chri-

Christi auctoratos, militare, nec ab hoc unquam turpi transfugio discessuros, mille prius mortes, & omnia tormentorum genera perpeſuros.

Saramentum extremæ unctionis institutum est, ut animos & vires nobis suppeditet ad ultimam luctam; hinc ultra gratiam habitualem confert specialem, quâ confortati in vita limine extremos, eosque ardentissimos, cum de rei summa ultimè agatur, dæmonis infensissimi nostri hostis conatus & assultus retundamus, eoque devicto triumphantes, opimis spoliis divites cœlum ingrediamur.

Sacramentum matrimonii è collimat, ut sponsi novi casto, & arcto conjugalis amoris vinculô colligati junctâ operâ prolem à DEO concessam, a primis statim unguiculis in timore DEI educare, ceream indeolem ad omnem virtutem infleſtere, ipsique pietatem cum lacte materno instillare conentur, cœlum, non infernum novis coloniis aucturi: hinc præter gratiam habitualem confert, & secum trahit certas gratias actuales, quæ suo tempore, & loco subministrantur, ut gravia matrimonii onera non tantum cum patientia æquanimiter, sed etiam cum gaudio alacriter ferantur.

Cum autem te minime lateat, Sacramen-tum pœnitentiax tanquam spirituale pharmaco-podium à Christo in sua Ecclesia erectum fuisse cum in finem, ut adhibitâ pretiosi illi-

mâ

mâ medicinâ è sanguine Christi confecta, à suis mortiferis plagis anima miserè saucia sanetur, priori vel etiam firmiori vale odini restituatur, reductâ pristinâ pace, & tranquillitate animi, atque adeò præter gratiam habitualem, etiam auxilia conferat, ne in antiqua relabatur peccata, & denuo in latronum crudeles, cruentasque manus incidat: hinc experientia hausta ex sacris tribunalibus, siquidem aures pœnitentibus, & in his se accusantibus præbere pro munere tuo solitus es, te docebit, illos, qui sæpius, & saltē singulis octiduis semel hac salubrî medicina utuntur, & hoc pretioso lavacro animum emaculant, nunquam vel nonnisi rarissimè lethifero vulnere saucios comparere, cùm tamen è diverso illi, qui raro, singulis annis semel, vel non multò frequentius hoc alexipharmaco utuntur, & hoc emplastrum suis vulneribus adhibent, vel hæc nunquam verè sanent, vel statim iterum disrupta recrudescant, & in insanabilem gangrenam degenerent; verbô, & clariüs gravi lethalium peccatorum sarcinâ onusti semper redeant.

Et unde oritur tam grande inter utrosque discrimen? an non ambo ex carne & sanguine compacti, ad vitia proclives, à dampno stimulati, & periculis undique circumsepti, & obsessi? causa, & radix tanti discriminis est hæc ipsa, de qua loquimur. Primi crebrioribus, & efficacioribus à cœlo sufful-

suffulciuntur subsidiis, quæ secum trahit
crebrior frequentatio, & usus Sacramenti
Pœnitentiae, quibus secundi ob neglectum
hujus usus destituuntur. Hæc subsidia, &
auxilia, quæ in hoc sacro Tribunali seipso
accusantibus ubertim distribuuntur, sunt ar-
ma, quibus instrutus comparere debes in
palæstra ad dimicandum cum diabolo, tibi
perseverantium vi vel fraude eripere, pal-
mamque in manibus infringere conante.
Hoc Sacramentum tibi vires augebit, hosti
adimet.

Dæmon à pio Sacerdote interrogatus,
quodnam armorum in armamentario Eccle-
siae reconditorum genus ad eum superan-
dum præstantissimum esset, sacris Exorcis-
mis adactus respondit: *Nihil est in Ecclesia, quod
tantum nobis noceat, quod sic vires nostras enervet,*
quam frequens confessio. Cæsarius L. II. c. 38. Noli
igitur conqueri, noli culpam conjicere in
tentationis vehementiam, in tuam fragili-
tatem, & virium defectum; frivola enim
est hæc excusatio. Si vires desunt, habes,
unde has compares; sume scutum & arma
acutissima, Christi sanguine tinteta, in for-
nace suæ passionis acerbissimæ arden-
tibus flammis Divino amore fabroe laborata.

Frequenti per Sacramentum conscientiæ
expiationi, frequens, veletiam frequentior
ad mensam Eucharisticam accessus adjun-
gendus est. Eucharistia est cibus & nutri-
mentum animæ, eique robur ac vires supple-

*R. ditat

ditat contra suos hostes ; quemadmodum ergo vita naturalis diu protrahi non potest, nisi crebrius suggesto pabulô sustentetur & alatur , ita supernaturalis vita animæ durare non poterit, nisi frequenter, & sæpè cibô Eucharistico , & pane fortium reficiatur.

In Paradiso terrestri plantaverat DEUS arborem vitæ , cuius salutiferis fructibus vitam homo in statu innocentia , & justitia originalis , parâisset , & conservâisset immortalem: juxta mentem tamen Magistri sententiarum minimè suffecisset semel de hujus arboris fructibus comedisse , sed opus suisset, sæpius , vel etiam identidem hos avidâ manu decerpere , & majore aviditate absu-
mere. Hæc figura prodroma fuit , & id ea illius , quod DEUS deinde in Ecclesia sua, meliori in terris Paradyso instituturus erat: etiam in hoc Paradyso plantavit arborem vitæ præ altera longè nobiliorem , & milles pretiosiorem , cuius fructus cœlestes nos redderent incorruptibiles , & immortales: audi luculenta , & Divina testimonia: qui manducat hunc panem , vivet in æternum. Joan.6. Si quis manducaverit ex hac pane , vivet in æternum. Joan. 6. Hic est panis de cœlo descendens, ut si quis ex ipso manducaverit , non moriarit. Joan. 6.

Advertere tamen juvat, cibum hunc cœlestem, qui suō succō impertiatur manducanti immortalitatem sive perleverantiam in bono semper vocari panem , non aliâ de cau-
sa,

sà, quàm ut memoria refricetur, & indicitur, quòd sicut panis est cibus ordinarius, communis, & omni alio frequentior, quo utimur ad sustentandam vitam corporis, ita cibus sive panis Eucharisticus is esse debeat, quo quàm frequentissimè, & sa- piissimè utamur ad conservandam & roborandam vitam animæ.

Concilium Tridentinum huic cibo cœlesti varia impertitur nomina; nunc vocat illud antidotum, quod longè à nobis arceat omne peccatum lethiferum: *antidotum, quo à peccatis mortalibus præservemur, Sess. 13. c. 2.* Nunc vitam animæ, & stabilem animi sanitatem; ita loquitur *Sess. 13. c. 13. Animæ vita, & per- petua sanitas mentis.* Sed ut hunc sortiatur effectum, præscribit, & requirit Concilium frequentem, vel etiam quotidianam hujus antidoti Divini sumptionem. Miserum me, si malim detestando jejunio, & fame perire, quàm hoc pane Angelico debiles vires restaurare, morbos fatales facile depellere, & perpetuam sanitatem, imò immortalitatem indipisci.

Amaris deflet lachrymis Isaias Prophetæ miserias, ærumnas & calamitates, quibus prævidebat populum Israëliticum involvendum, quippe à Romanis profligandum, opprimendum, & in diram captivitatem abstrahendum: inter has miserias omnium maxima, acerbissima, & cruentis digna lachrymis videbatur, quòd genere nobilissi-

* R. 2. mi.

mi, opulentissimi, & deliciis innutriti, ex panis defectu, dirâ fame perituri, & encandi forent; nobiles ejus interierunt fame. Is. c. 5. Longè pluribus, & amarioribus jure optimo deploranda est cæcitas & infelicitas complurium Ecclesiasticorum, qui ad sublimem, nobilissimumque Sacerdotis gradum inter Christianos elevati, ex supina negligentia, & ignavo torpore pereunt fame, dum neglecto usu frequentiore Eucharistici cibi sibi subtrahunt panem fortium, atque ita sensim destituti viribus, in fatales morbos, & ipsam mortem prolabuntur, & re-labuntur. Tu verò huic sacrae mensæ frequenter, & diligenter accumbe; satia, example piam famem tuam; restaura languentes vires tuas, si quidem validissimo hosti tuo fortiter resistere, eique victoriam extorquere cupis, qui omnibus viribus connitur te in priorem captivitatem retrahere, prioribus vinculis, ex quibus te feliciter extricasti, denuò innodare.

II. Parum tamen juvaret militem optimis & præstantissimis armis omnis generis esse ad pugnam instructum, si imminentे pugnâ mox terga verteret, ignavam fugam arriperet, & ne quidem primum hostis assultum sustinere vellet: tantus armorum apparatus, tantum robur id unum efficeret, ut eò probrosior, & turpior esset accepta clades: hæc ita sunt intelligenda, non sufficere, ut frequenter ad mensam Eucharisticam ac-

cum-

cumbas, & vires animi hebetatas repares, sed insuper requiri, ut malos habitus præterito vitæ tempore contractos ab imis radicibus evellas, ne te suis vinculis in interitum, & extremam ruinam trahant eversâ perseverantiæ virtute. Proin omnis tua diligentia, & cura eò tendat, ut ejusmodi domesticum, & internum inimicum, quò occultiorem, eò periculosiorem hostem domes, ac profliges, ut hunc ferocem tyrannum, qui sceptrum invasit, in voluntatem, omnésque reliquas animæ potentias, quin & omnes corporis sensus tyrannicum, & despoticum usurpat, & exercet imperium, de throno deturbes. Cave, ne si illum viribus omnibus aggredi differas, tyrannidem semper magis stabiliat, cum præsente, & evidente periculo, ne te denuo in lethifera peccata, & tandem in abyssum infernalem præcipitet. Nec animum despondeas, & hosti tali, quantumvis potenti statim herbam porrigas, ignavo perculsus metu; sit, tibi videatur voluntas tua ab ipso subacta, ferreis, & insolubilibus vincita catenis: depone timorem panicum, animos resume.

Non me latet, arduum esse, & magni molinis negotium, aggredi, vincere & debellare hostem, qui dominatum suum, & tyrannidem jam diu stabilivit in anima, cámque in omnes animæ potentias violenter extendit, in omnes & singulas venenum

R 3 pesti-

pestilens effudit; difficulter fortè armatum ejici ex arce jam diu possessa; sed quod difficile, impossibile non est, nec vires nostras superat, tunc maximè, quando in auxilium vocatus DEUS, has confortat, & auget, submissis efficacibus gratiarum subfidiis. Quis in misera captivitate arctius catenis ferreis profani, & impuri amoris jacebat, & gemebat ligatus, quam Magdalena, & Augustinus? & tamen potuerunt superare hostem tam potentem; potuerunt dirumpere vincula tam arcta, tam dura; potuerunt perfracto captivitatis carcere se in libertatem filiorum DEI allekere; potuerunt ex mancipiis impuritatis converti & mutari in specula purissima, & exemplaria nitidissima omnis castimoniæ, & Angelicæ puritatis: potuerunt isti & istæ, cur non & tu?

Modum hunc hostem internum, hunc tyrannum crudelem penitus ex arce cordis depellendi nos docuit dux noster Christus JESUS, cum ex energumeno ejecit dæmonem, qui misellum hominem à prima statim infantia invaserat, & infederat, ajens: *hoc genus dæmoniorum non ejicitur, nisi in oratione, & jejunio*, Marc. c. 9. Hanc doctrinam, hoc exemplum secutus D. Augustinus optimus & peritissimus in hoc potissimum confidit Magister, & verbis docuit, & factis expressit: tuarum, inquit, partium est, hostem hunc adoriri oppugnare, in tuo corpore, velut

velut in arce munita dominantem, non jam
igneis globis, sed flagorum ictibus acriter
verberare, ejus vires interclusâ annonâ in-
fringere, enervare, & per inediam ad de-
ditionem cogere; tuum est ardentibus
flammis non oleum, sed aquam affundere,
& pabulum subtrahere, donec tandem in-
frigidum cinerem subsidant: hoc tu facere
& potes, & debes: quod autem tuarum
partium, tuarum virium non est, quod tu
non potes, petere & impetrare per oratio-
nem potes à DEO, qui suis partibus minùs
deerit, quàm tu tuis: facere quod possis, & pe-
rere quod non possis.

Contraria contrariis curantur, calida frigidis,
frigida calidis: clavus clavo pellitur, consue-
tudo consuetudine vincitur. Deditus es iræ,
solitus effervescere, & in diras prorumpe-
re? assuesce primos iræ, & excandescentia
impetus cohibere, linguae frænum injicere,
& admordere labia, & non nisi ad laudan-
dum & benedicendum DEUM ea solvere
ob accepta innumera ab eo, eaque maxin a
beneficia omne tuum meritum superantia:
numera etiam ipsas tuas adversitates quibus
te afflit, inter favores paternos; fatere,
longè plura, & acerbiora tuis deberi deme-
ritis, simûlque te ad ista promptum, & ad
flagella paratum offer.

Pronus es ad invidiam, ad æmulationem?
urit, & torquet te proximi felicitas & for-
tuna? displices, affligeris, si aliis postpona-
ris?

*R 4.

Ris?

ris? si inferiores tibi æquentur, si parei
præferantur, ad altiorem gradum in Eccle-
sia evehantur, & tuum splendorem obscu-
rare videantur? & tu assuesce gaudere de
felicitate proximi, orare etiam pro inimi-
cis, rogare DEUM ferventer, ut bona
omnia liberaliter effundat, & eorum sinus
thesauris suarum gratiarum repleat.

Si intemperantiæ in cibo & potu nimi-
um fræna laxâsti, si Baccho, & Cereri ni-
mum indulsisti, siccandis, & epotandis ca-
licibus studuisti, vela in hoc vasto, & dulci
pelago, in quo fors sæpius naufragium pas-
sus es, contrahe, blandas Sitenes, occasio-
num scopulos cautè devita, Neptunum
Baccho substitue, abdomen, adipatum
ventrem, pendula palearia, tricubitales sca-
pulas, torosos humeros constanti abstinen-
tiâ, rigidô jejuniô, salubri fame & siti con-
trahe, exsicca, & extermina.

Si assueveras aliorum mores & vitam car-
pere, defectus proximi in medium protra-
here, amplificare, famam proscindere, de
omnibus conqueri, et murmurare; assuesce
nunc refrænare linguam cique leges, et li-
mites ponere; de omnibus loqui semper
bene, de absentibus nunquam loqui, quod
non auderes iis præsentibus.

Largas in pauperum manus effunde ele-
mosynas, ut ita profundas radices, quas in
corde tuo egit avaritia, et auri cupiditas
extirpes, et penitus evellas. Experiens te
brevi

brevi tempore, sensim sine sensu hoc modo acquisiturum eam consuetudinem, et habitum, priori ē diametro oppositum; nam si-
cut ille tibi reddebat malum vix non neces-
sarium, ita tibi hic reddet bonum facilli-
mum.

Nullo tamen medio melius etiam ferreas
jam consuetudines stirpitūs evelles, quam
per pœnitentias, ut vocant, exteriores, sive
corporis pœnaliates, et macerationes, sic
enim de his loquitur Concilium Tridentinum
Sess. 14. c. 8. *Satisfactoriae pœnae vitiosos habitus*
male vivendo comparatos contrariis actionibus tol-
lunt.

An ignoras modum, quo serpens utitur ad
exuendam veterem pellem? phœnix, ut mar-
cidas, et senio corrosas perinas renovet,
et reparet? ille subtus scabram et arctam pe-
tram corpus suum protrudit non sine acri
doloris sensu, quem suffert, & sibimet ul-
trò insert. Iste sibimet præsum construit
rogum, nec horret ardores, quibus vetu-
stas absumitur: sic reddit utriusque juventus,
& melior forma. Sic & tibi ultroneæ Pœ-
nitentiaæ asperitates, & mordaces spinæ an-
tiquas, & ipsa cute tibi tenacius inharentes
prævaricandi consuetudines abradent. Pa-
ciscere cum oculis, & nimis liberam eorum
evagandi licentiam coérce, palpebris cautè
obductis eorum effrænem fugacitatem re-
frænandō: subtrahe solitæ quieti quando-
que horulam, ut hac pœnâ luant fixos il-

R 5 los,

los, periculique plenos obtutus illorum ob-
jectorum, de quibus Regius Propheta ca-
nit: *averte oculos meos, ne videant vanitatem.*
Castiga quandoque corpus, & inflictis ver-
beribus debitæ servitutis admone; meminc-
rit se non dominum, sed mancipium & ra-
tionis dominio subiectum esse. Interdicito
linguæ tuæ sapidiores & delicatores bolo-
in mensa, ut luat nimiam aviditatem arro-
dendi, ac lacerandi famam aliorum, seque
pascendi ejusmodi cruentis frustis.

Ut equus indomitus dometur, & inolita
vitia dedoceatur adhibendæ sunt virgæ, &
calcaria, quibus ejus latera assidue tundan-
tur, & fodcentur: si lenem te erga ipsum ex-
hibeas, si conniveas, si blandiaris, si pal-
pes, vitia non tolles, sed augebis, ut tan-
dem inveterascat: ita si tuis pravis cupi-
ditatibus, inclinationibus, & desideriis
fræna laxaveris, quæ data porta ruent, &
te in certam perniciem abripiunt: si quid-
quid deliciarum, & commodorum corpus
appetere potuerit, illi concedas, si mensam
basilicè cibis Apicio dignis oneraveris, falern-
nis, vinis cæcubis inundaveris, lectum
morbidis plumis instraveris, appetitui nihil
unquam negaveris, quo fundamento nixus
tibi persuadere, & sperare potes, te hac ra-
tione malos habitus, inolitas pravas con-
suetudines extirpaturum? Ager spinosis nu-
datus sepibus hominum, & animalium
sive bestiarum omnium patet incuribus, &
certæ

certæ ruinæ: ubi non est sepes, diripetur possessio.
Eccli. c. 36.

Si his mediis usus, his suffultus subsidiis
fecisti, quidquid tuarum partium & virium
fuit, necdum credas debellatum hostem pe-
nitùs prostratum, & enervatum, vitiosam
consuetudinem radicitùs extirpatam esse: fa-
cile iterum repullulant capita huic multiplici
hydræ, redeunt vires, succres: ut huic Sam-
soni non evulsi, sed attorsi capilli; noli
tibimetipſi fidere, tibimetipſi suspectus
esto, ad orationem, & per orationem ad
DEUM confuge, pete instanter, ut ipse
faciat id, quod tu non potes: facere, quod
possis, petere, quod non possis. DEUS utique
ille est, qui nos prævenit, excitat, corro-
borat sua gratiâ, ut primos gressus in semi-
tis justitiæ ponamus, ut autem in illis pro-
cedamus, curramus, & salutem nostram
operemur, necessaria quidem semper ejus-
modi divina auxilia, quæ tamen viâ ordi-
nariâ non conceduntur ultrò, sed per o-
rationem, & supplices libellos ad Divinæ
clementiæ, & misericordiæ thronum dire-
ctos, petenda, & obtainenda sunt. Hæc
gratia, si etiam reliquæ omnes deessent,
nulli deest, nulli negatur, ut possit fortio-
ra illa subsidia sibi ad operandam suam sa-
lutem necessaria petere à DEO & obti-
nere.

Fixum igitur, ratum, statutumque tibi
sit, ut ne in via tam ardua & periculosa de-
ficias,

ficias, cespites, impingas, & in antiquas
delictorum voraginiæ præcipiteris, sed con-
stans maneas, de virtute in virtutem eas,
& usque ad finem perseveres, assiduis, &
seruentissimis precibus diu noctuque, manè
& vesperi, cœlum pulsa, nec unquam sati-
gatus desiste, aut cessa ab oratione, quam-
diu vixeris, quamdiu spiraveris, suspira, &
spira, memor illius; oportet semper orare, & non
desistere. Luc. c. 18.

Cave tamen, ne orationis nomen te de-
cipiat, & sub hoc tantum intelligas precatio-
nulas quasdam vocales, & fugace lingua de-
blateratas, dum interim cor longè est à Deo,
ad quem orat, & quem adorat; intellige
potius sub orationis vocabulo, quæ est, &
esse debet elevatio mentis ad DEUM, re-
cursus quemdam ad DEUM etiam sine
voce, & linguae adminiculo, solo animo, &
quidem ardentissimum, & fiduciæ plenum,
ne in æternam ruas perniciem; non aliter,
quam ille, qui in præsentis, et jamjam immi-
nentis naufragii periculo constitutus, despe-
ratis jam rebus, & omni humana ope de-
stitutus ad Divinum, quod superesset unicum,
totius animi ardore recurreret, & confu-
geret auxilium.

Qui solus & viritim cum suo hoste con-
gredi, & victoriæ hoc modo de ipso sibi
promittere non audet, de commilitone &
socio circumspicit, cujus ope fretus, tam
dubiam & periculi plenam aleam intrepide
subire

subire possit. Si propria te docet experien-
tia, tantum vigoris, & roboris tibi necdum
inesse, quo vehementes jam diu roborat, &
& in veteratæ consuetudinis impulsus, & ite-
ratos pravorum habituum impetus retundas,
cur non vires, & animos quæris, et sumis
ab oratione? hoc medio quid facilius? cùm
utique difficile non accidat mendico stipem
& opem petere præsertim à domino ditis-
simo, & liberalissimo. Quid hoc medio
efficacius? cùm DEUS ipse promiserit, &
fidem suam obstrinxerit nihil eorum, quæ
homini ad consequendam salutem necessa-
ria sunt, negandi illis, qui pro his obtinen-
dis magnâ fiduciâ, & pari constantiâ sup-
plicaverint. Quid hoc medio magis neces-
sarium? nam DEUS, teste D. Augustino,
nulli concedit inestimabile donum perse-
verantia, & gratiam finalem, nisi oranti,
& ardenter ac constanter oranti.

III. Ut hostis tandem ex integro pro-
fligetur, & debelletur, oportet non tantum
callere artem generosè & fortiter ipsi resi-
stendi, sed insuper artem recedendi, & ex
imminentibus periculis se in tutum recipi-
endi. Non satis est, animosè se pravæ
consuetudini opponere, convenit etiam
cautè, & providè declinare malas peccandi
occasionses, vel si forte in has improvidè
incidisti, ex his se prudenter, ac sine mo-
ra proripere. Ne præfidas tuis propositis
quantumcunque videantur scriba, firma, &

in.

inconcussa, quæ concepisti; nam firmo non stat pede, sed facile vacillabit, & de nuo corruet, qui se in priores ultrò conjicit, & implicat laqueos.

Peregrinus, & admiratione dignus tibi videtur modus, quoad accendendum sacrum ignem sacerdos Nehemias usus est. Hebrei, antequam à Nabuchodonosore abriperentur in miserrimam captivitatem Babyloniam, sacrum, & ad sacrificia in templis offerenda à DEO destinatum ignem, vivum & ardente in cisternam profundam & siccum demissum absconderant. Post non exiguum annorum, & generationum periodum à Rege Persarum libertate donati & in patriam dimissi nepotes, & posteri eorum, qui in Babyloniam transportati, duram servitatem subire coacti sunt, citato, & avido cursu ad locum, ubi ignem reconditum à suis patribus audiverant, properarunt; sed loco ignis nil nisi crassam, & limosam aquam invenerunt. Attonitos ad rei novitatem Hebreos ita animat Nehemias: nil refert, contribules optimi, nil refert; hanc ipsam aquam super lignorum strues, quibus sacrificia superimposita jam jacent, ubertim effundite: videbitis hanc luculenter demonstraram, se nequaquam omnem exuisse memoriam pristinæ suæ conditionis, & ignæ naturæ. Et en! novum, & priori longè splendidius miraculum! guttula illius aquæ, quasi tot ardentes scintillæ arida illa ligna

ligna instar sulphuris in iētu oculi succendunt ; erumpunt in luculentas flamas , quæ intra breve tempus hostias in cineres redigunt ; *accensus est ignis magnus*, ita ut omnes mirarentur. 2. Mach. c. 3.

Crediderim , pravas tuas cupiditates , & propensiones prius tam ardentes , & igneas , nunc extinctas , imò in amarissimas contriti cordis , casti amoris & doloris lachrymas fuisse mutatas . Hinc tamen ne nimium tibimet ipsi fidet ; non audeas nimis propinquè accedere ad ignem istum , quamvis jam aqua lachrymarum extinctum ; alias excitabis tam grande , et vehemens incendium ut tu ipsemet , qui hoc excitasti , miratus sis . Hinc nunquam tibi immunitatem à relapsu in priores miseras promitte , si sponte tuâ in priora te conjicis pericula , et exposis lubricis cadendi periculis .

Fortassis hanc tuam fiduciam fulcit et fundat virtus tua , quam toties jam expertus es tam debilem , et fragilem , qualem jam plurimi alii , jam longius , et longè firmiori pede , quam tu , in via virtutis , et perfectionis progressi in ejusmodi occasiōnibus , & casibus experti sunt ? hinc tibi plus promittere , aut sperare nullatenus prudenter potes .

Fortassis autem hæc tua præfidentia jure meritò niti posse videtur speciali aliquā gratiā , et auxiliō DEI extraordinario ? sed tu quam optimè nosti , divinam providentiam sicut

sicut stylo, et cursu ordinario non adhiberi prodigia, et miracula, ubi necessaria non sunt; ita nec solere subministrare medium selectissimum ad obtainendum finem præfixum, ubi hoc facile consequi possumus mediò etiam minus præstante, communi, ac ordinariò: nam quō titulo ac jure speciale protectionem ille sibi promittat desuper, qui se sponte, & temerariè in evidētia pereundi pericula conjicit? sapientis prudentissimum, & certissimum effatum est: qui amat periculum, peribit in illo. Eccli. c. 3.

Sed permittamus, esto, evadas, non committas peccatum, ad quod te allicit, & impellit occasio proxima; tamen jam graviter impegisti, et peccasti alio peccati genere; atque eā de causa, quod te sponte proximæ occasione peccandi exposueris: non solum peccat, qui occasiō, et tentationi succumbit, sed etiam ille, qui hanc non fugit, cūm facile posset.

Non tamen hic scopus, ad quem modo collimo, solus & unicus est, ut tibi causam fugam ab occasione proxima suadeam, & persuadeam, hæc enim tibi aliunde præcepta, & necessitatis est; sed etiam fugam ab occasionibus remotis, quæ solum consili, et prudentiæ est, in re tanti momenti, quanto est æterna animæ salus, in qua promovenda, & ab omni periculo præmunita non est ulla sollicitudo, vel cautela nimia; præcipue in personis Ecclesiasticis,

&

& Religiosis, in quibus sicut in sole, à sæcularibus etiam minimus nævus, tenuissima macula, vel umbra telescopiis, et microscopii observatur, notatur & carpitur. Occasiones istæ remotæ disponunt etiam è longinquo, & sensim animam ad lapsum; sunt instar fossorum, & viarum structorum in exercitu, qui quidem ipsi in prælio non configunt, non vulnerant, non occidunt, sed vias sternunt, & complanant subsequentibus magnò numerò militibus, qui atrociter configunt, vulnerant, & manent, omnia ferro & igne devastant, & depopulantur.

Inter ejusmodi occasiones remotas numerari possunt lectio librorum vanorum prophanorum, quamvis non obscenorum, luxus, visitationes, conversationes nonnihil liberiores, præsertim cum altero sexu, colloquia, joci, sales mensales, insulsi, maleolentes, illiberales, vester nimis pretiosæ, harum luxus, forma, statûs sui conditionem excedentes, nimium commodatum suarum studiorum, similésque alii complures leves excessus & defectus, vel etiam res de se adiaphoræ & indifferentes, in quibus cautè, & magna cum prudentia procedendum est; ita ut nec civilitatis, nec decentiæ leges transgrediamur, longè minus conscientiæ dictamina violemus, & animam maculemus, cum detimento & præjudicio salutis æternæ.

S.

Nullibi

Nullibi tamen majori opus est circum-
spectione, & attentione, quām quando
agendum est cum mulieribus, quamvis de-
votis, Religiosis, & spiritualibus, quamvis
solum calamō, & per litteras, quamvis so-
lum de rebus ad spiritum, ad virtutem, &
perfectionem spectantibus, nisi tibi harum
cura, & directio ex officio incumbat, ne
tibi eveniat, quod Paulus scripsit ad Ga-
latas c. 3. *cum spiritu cœperitis, carne consum-
mamini:* porrò etiamsi munus tibi imposi-
tum exigat, ut cum fœminis agas, easque
instruas, & variè dirigas, etiamsi Episco-
pus es, hanc tibi tamen cautelam, nec
te, nec statum tuum dedecentem præscri-
berem, qua constanter usus esse scribitur
S. Hugo Episcopus, vi muneris sui adactus
agere promiscuè cum omnis generis, & se-
xūs hominibus, quod nimirūm nunquam, &
ne semel quidem oculos in ullius fœminæ
faciem defixerit.

Quin conversationes & collocutiones
omnes cum aliis, etiam viris, Religiosis,
Ecclesiasticis prudentibus, tui similibus, non
aliter instituendæ, & admittiendæ, quām
ut animus honestè recreetur, relaxetur,
vires reparentur, tempus utiliter fallatur, ne
arcus semper tensus tandem rumpatur.
Perperam ageres, & plurimūm à scopo de-
bito aberrares, si ejusmodi solatia adhibe-
res ad animum non distrahendum à gravi-
bus, & mordacibus curis, sed ad spir-
tum,

tum, ad devotionis fervorem dissipandum,
& extinguedum.

Sint sibi statæ diebus singulis horæ, qui-
bus te negotiis tuis suffureris, & non jam
cum hominibus, sed cum solo DEO agas,
& de negotio omnium negotiorum ma-
ximo, summè, & unicè necessario, de, &
pro salute animæ tractes: nec has horas
DEO destinatas tibi ab ulla unquam
multitudine quantumcunque gravium &
urgentium sæculi negotiorum subduci, &
surripi permitte. Imitare, & æmulare Re-
gem Davidem *de die in diem* Psalm. 6. se
publico aulæ theatro tantisper subtrahen-
tem, hujus strepitus & tumultus in dome-
stica, & quieta solitudine devitantem,
mutabat enim non raro salutis suæ stu-
diosissimus Rex aurea laquearia, regia
cubicula, & Augustalia in piis eremos, in
quas regem exutus, & solitarium eremico-
lam indutus, se recipiebat, DEO, sibi
que soli vacans, amaris pœnitentiæ &
amoris lachrymis maculas prioris vitæ
eluens, & futuræ præcavens.

O quam grande tibi emolumentum non
conferet hæc spontanea, & quotidiana
fuga publici, hæc piæ feriæ, & induciæ
hoc sacrum ab omnibus prophanis euris
& negotiis otium, hic à mundo recessus,
& ad DEUM accessus ad obtinendam
illam in bono constantiam, & perseve-
rantiam, sine qua etiamsi bene, imò

S 2 quam


276 Paræfis ad perseverandum in bene cœptis.

quàm optimè cœperis , nunquam æternam felicitatem , & salutem , quam tibi ex animo precor , & opto , obtinebis : non qui benè cœperit , sed qui perseveraverit usque in finem , hic salvus erit. Matth. 24. v. 13.

O. A. M. D. Deiparæque
V. G. Amen.



INDEX



INDEX

Considerationum.

- P**ro die prima, Consideratio prima.
De obligationibus Ecclesiastici ut creature. pag. 5.
- Pro die prima, Consideratio secunda
De obligationibus Ecclesiastici ut hominis. 9
- Pro die secunda, Consideratio prima
De obligationibus Ecclesiastici ut Christiani. 18
- Pro die secunda, Consideratio secunda
De obligationibus Ecclesiastici ut Christiani. 29
- Pro die tertia, Consideratio prima
De obligationibus Ecclesiastici ut mortalis. 39
- Pro die tertia, Consideratio secunda
De obligationibus Ecclesiastici ut inuncti. 51
- Pro die quarta, Consideratio prima
De obligationibus Ecclesiastici ut pœnitentis. 63
- Pro die quarta, Consideratio secunda
*De obligationibus Ecclesiastici circa mortificatio-
nes.* 71

Iro

I N D E X.

- Pro die quinta, Consideratio prima
 De obligationibus Ecclesiastici ut Ecclesiastici. 83
- Pro die quinta, Consideratio secunda
 De 3. obligationibus canonicis Ecclesiastici. 81
- Pro die sexta, Consideratio prima
 *De obligationibus Ecclesiastici circa modestiam ex-
 ternam.* 101
- Pro die sexta, Consideratio secunda.
 De obligationibus Ecclesiastici circa castitatem. 109
- Pro die septima, Consideratio prima
 *De obligationibus Ecclesiastici circa Horas cano-
 nicas.* 119
- Pro die septima, Consideratio secunda
 De obligationibus Ecclesiastici ut Sacerdotis. 127
- Pro die octava, Consideratio prima
 De obligationibus Ecclesiastici sacra operantis. 137
- Pro die octava, Consideratio secunda.
 De obligationibus Ecclesiastici ut beneficiati. 147
- Pro die nona, Consideratio prima.
 De obligationibus Ecclesiastici ut judicis sacri. 157
- Pro die nona, Consideratio secunda.
 De obligationibus Ecclesiastici ut Curati. 169
- Pro die decima, Consideratio prima.
 De obligationibus Eccli. in parochia sua residentibus. 181
- Pro die decima, Consideratio secunda.
 De obligationibus Eccli. ut Canonici. 191
- Consideratio de officio Episcopi. 196
- Consideratio de officio Cardinalis. 217
- Parænesis ad perseverandum in bene cœptis. 250



Th
4501

I.